(*a*) Alii, *extra noſmetipſos* quod optime repræſentat Græcus Int. Alii, *ſub noſmetipſos ducimur.* Alii, *recedimus.*

(*b*) In Gr. *non extra ſe quidem, ſed ſuper ſemetipſum fuit.*

(*a*) Fl. τοὺς νοεροὺς ὀφθαλμοὺς ὑπ' αὐτοῦ φωτισθείς.

hoc rediit, quod in intellectu communi, & prius fuit. Venerabilis igitur Benedictus in illa ſolitudine habitavit ſecum, in quantum ſe intra cogitationis clauſtra cuſtodivit: nam quotienſcumque hunc contemplationis ardor in altum rapuit, ſe proculdubio ſub ſe reliquit.

PETRUS. Placet, quod dicis: ſe quæſo reſpondeas, ſi deſerere Fratres debuit, quos ſemel ſuſcepit.

GREGORIUS. Ut ego, Petre, exiſtimo, ibi adunati æquanimiter portandi ſunt mali, ubi inveniuntur aliqui, qui adjuventur boni. Nam ubi omnimodo fructus de bonis deeſt, fit aliquando de malis labor ſupervacuus, maxime ſi e vicino cauſæ ſuppetant, quæ fructum Deo valeant ferre meliorem. Vir itaque ſanctus propter quem cuſtodiendum ſtaret, qui omnes unanimiter ſe perſequentes cerneret? Et ſæpe

νόμενος εἰς τοῦτο ἐπανῆλθεν, εἰς ὅπερ τῇ ἐπιγνώσει τῆς φυσικῆς κοινωνίας τὸ πρότερον ὑπῆρχεν. ὁ οὖν προωρισμένος ὑπὸ Θεοῦ πατὴρ Βενέδικτος ἐν τῇ τῶν ἠθῶν ἡσυχίᾳ τε καὶ μονοτρόπῳ σεμνότητι κατῴκησε μεθ᾽ ἑαυτοῦ δηλαδὴ, ὅταν ἑαυτὸν ἐν τῇ τῶν λογισμῶν θεοπρεπεῖ κυβερνήσει διετήρησεν. ὁσάκις γὰρ τοῦτον τὸ ὀπτασίας τὸ μέγεθος εἰς ὕψος ἥρπασεν, ἑαυτὸν τουτέστιν ὑφ᾽ ἑαυτὸν κατέλιπεν.

ΠΕΤΡ. Ηνέωκταί μοι ὃ λέγεις, ἀλλ᾽ αἰτῶ ἀποκριθῆναί μοι, τίνος χάριν ἅπαξ αὐτῷ ἐμπιστευθέντας ἀδελφοὺς κατέλειψεν, ὧν τὴν φροντίδα ἀνεδέξατο.

ΓΡΗΓ. Καθὼς ἐγὼ, Πέτρε, ὑπολαμβάνω, ἑνωθέντες ὁμοψύχως ἐκεῖ οἱ φαῦλοι ἐπὶ τῇ ἑαυτῶν λύμῃ (α) ὑπομονῆς πολλῆς δέον ἐπὶ πρὸς τὸ ὑποφέρειν τὴν τῶν κακῶν ἀντιλογίαν· μάλιστα ἐὰν μὴ προσγίνεταί τις παρηγορεία, εἰ συμβῇ ἐν αὐτοῖς ὀλίγους εὑρεθῆναι ἀγαθούς. ἐπεὶ ἔνθα παντάπασιν καρπὸς ἐκ τοῦ κόπου οὐκ ἔστιν ἐλπιζόμενος, ἀνόητος ἡ συνοίκησις ὅμως συμβαίνει γίνεσθαι ἀγώνων τε καὶ ἱδρώτων εἰς μοχθηροὺς καὶ ἀδιόρθωτον γνώμην κεκτημένους κάματον πολύν. ἀλλ᾽ οὖν (β) διάκενος εὑρίσκεται. μέγα οὖν ὑπάρχει, ἐὰν οἱ οὕτω σκολιῶς διακείμενοι, τῷ

pe — Θεῷ

(α) Reg. ὑπομονῆς πολλῆς χρεία ἐστί.

(β) διάκονος habent Editi; gravem hunc typographicum lapſum e prioribus Editionibus in ſuam tranſtulit Sammarthanus.

pe agitur in animo perfe-ctorum (quod ſilentio præ-tereundum non eſt) quia cum laborem ſuum ſine fru-ctu eſſe conſiderant, in lo-cum alium ad laborem cum fructu migrant. Unde ille quoque egregius prædicator, qui diſſolvi cupit, & cum Chriſto eſſe, cui vivere Chriſtus eſt, & mori lu-crum, qui paſſionum cer-tamina non ſolum ipſe ap-petiit, ſed ad toleranda hæc & alios accendit, Da-maſci perſecutionem paſſus, ut potuiſſet evadere, mu-rum, funem, ſportamque quæſivit, ſeque latenter de-poni voluit. Numquid nam Paulum mortem dicimus ti-muiſſe, quam ſe ipſe pro Jeſu amore teſtatur appe-tere? Sed cum in eodem loco minorem ſibi fructum adeſſe conſpiceret, & gra-vem laborem, ad laborem ſe alibi cum fructu ſerva-vit. Fortis etenim prælia-tor Dei teneri intra clau-ſtra

Θεῷ δυνήσονται προσαγαγεῖν καρπὸν κρείττονα. ὁ μακάριος ἦν ἐκεῖνος ἀνὴρ τίνος (α) χάριν σὺν αὐτοῖς εἶχε κατοικῆσαι, ὁπόταν πάντας ἐκείνους ὁμοψύχους καταδιώκοντας ἑαυτὸν ἑώρα; διαφόρως οὖν τελοῦνταί τινα ἐν ταῖς τῶν δικαίων ψυχαῖς, ἅπερ ἀδύνατόν (β) ἐστι σιωπῇ παραδραμεῖν. ὅταν γὰρ θεάσωνται τῶν οἰκείων κόπων τὸ ἀκερδὲς, (γ) καὶ ἀνόητον, ἐν ἑτέρῳ τόπῳ μεταναστεύουσιν, ἐν ᾧ καρποφορῆσαι δυνήσονται. καθάπερ καὶ ὁ τῆς ἀληθείας κήρυξ, ὅστις ἀναλύεσθαι ἐπόθει, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι ὁ εἰπών. ἐμοὶ τὸ ζῆν Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος. ὁ τοὺς ἀγῶνας τῶν παθημάτων οὐ μόνον αὐτὸς ὑπομείνας, ἀλλὰ καὶ ἑτέρους ταῦτα ὑπομένειν διδάξας· ἐν Δαμασκῷ ποτε διωγμὸν ὑπομείνας, ἵνα δυνηθῇ ἐκφυγεῖν, (δ) τεῖχος, σχοινίον, καὶ σπυρίδιον ἐζήτησε, καὶ αὐτὸν λαθραίως κατενεχθῆναι ἠθέλησε. μὴ τὸν μακάριον Παῦλον θάνατον λέγομεν δεδοικέναι, ὃς ἑαυτὸν διὰ τὸν πρὸς Ἰησοῦν Χριστὸν πόθον μαρτυρίῳ ἐπιδέδωκεν; ἀλλ᾽ ἕως μὲν ἐν Δαμασκῷ (ε) ὑπῆρχεν, οὐ πάνυ ἑαυτὸν καρποφοροῦντα ἑώρα. ὅθεν λοιπὸν ἀναγκαῖον ἐλογίσατο μεταναστεῦσαι ἐν ἑτέροις τόποις, ἐν οἷς καρποφορίαν πλεί-

(α) Reg. χάριν εἶχε κατοικεῖν . . . ὁμοψύχως καταδιώκοντας.

(β) ἐστι σιωπῆσαι, ἢ παραδραμεῖν.

(γ) MSS. καὶ ἀνόητον.

(δ) Fl. ἀπὸ τοῦ τείχους. Reg. κατενεχθῆναι τοῦ τείχους ἐκέλευσε, μὴ τὸν. . . λέγωμεν δεδοικέναι, ὡς ἑαυτὸν διὰ τὸν εἰς Χριστὸν πόθον μαρτυρίῳ ἀπέδωκεν. Fl. ἐπιδέδωκεν.

(ε) Fl. ἦν.

ſtra noluit, certaminis campum quæſivit; unde iſdem quoque venerabilis Benedictus, ſi libenter audis, citius agnoſcis, quia (*a*) cum vivos ipſe indociles deſeruit, quantos in locis aliis ab animæ morte ſuſcitavit.

πλεονάζουσαν σὺν καμάτῳ πολλῷ τῷ Χριστῷ προσήγαγεν. ὡς ἄριστος οὖν ἀγωνιστὴς ὑπὲρ Χριστοῦ οὐκ ἠνέσχετο ἔνδον τῶν κλείθρων Δαμασκοῦ μένειν, ἀλλὰ τοῦ ἀγῶνος τὸ στάδιον ἐζήτησεν, ἐν ᾧ τὸν ἐχθρὸν ἐνίκησεν. ὅθεν καὶ ὁ (α) θεόφρων πατὴρ Βενέδικτος, ἐὰν ἀσμένως προσέχῃς τοῖς ῥηθησομένοις, τάχιον γνώσῃ, ὅτι ζῶν πολλοὺς ἐν διαφόροις τόποις κατέλιπε μαθητὰς, καὶ τούτους κατὰ τῆς τοῦ ἐχθροῦ πλάνης ἐνδυρωσέ τε καὶ διανέστησεν.

PETRUS. Ita eſſe, ut doces, & manifeſta ratio, & prolatum teſtimonium congruum declarat. Sed quæſo, ut de vita tanti Patris ad narrationis ordinem redeas.

ΠΕΤΡ. Οὕτως ἐστὶ καθὼς διδάσκεις. καὶ ἡ προσενεχθεῖσα ἁρμοδίως μαρτυρία δηλοῖ ταῦτα οὕτως ἔχειν· ἀλλ' ἐκδυσωπῶ, ὅπως ἐν τῇ προτέρᾳ τῆς τοῦ δικαίου πολιτείας ψυχοφελεῖ διηγήσει ἐπανέλθωμεν.

GREGORIUS. Cum ſanctus vir diu in eadem ſolitudine virtutibus, ſignisque ſuccreſceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei ſunt ſervitium

ΓΡΗΓ. (β) Ἐν τῷ τὸν μακάριον ἐκεῖνον ἄνδρα ἐν τῷ προειρημένῳ σπηλαίῳ θείαις ἀρεταῖς ἐξαστράπτειν δυνάμεσί τε καὶ σημείοις, οἷς ἐποίει δι' αὐτοῦ ὁ Θεὸς, καὶ εἰς ὕψος ἀγγελικῆς δόξης ἀναβιβασθῆναι· πολλοὶ ἐντεῦθεν

(*a*) Subl. A. *citius ipſe indocibiles deſeruit*. Subl. B. *citius agnoſcis, quia vivus ipſe*. Alias lectiones ſuppeditat Sammarthanus, miratus hic MSS. Codicum invicem pugnantium varios ſenſus. Nam quidam, *quia non tantos ipſe indociles deſeruit*, quam lectionem in textu retinuerunt, ceu aliis præferendam, Hæftenus, Mabillonius, & ipſe Sammarthanus. Alii, *quia vivos ipſe indociles*. Alii, *quia ſi hos ipſe indociles*. Alii demum, *quia vivus ipſe indocibiles*. Angelus de Nuce lectionem, *vivos ipſe indociles* meliorem autumat, quod in ea vitæ, & mortis contrapoſitio eluceat. In Gr. *citius agnoſces, quoniam vivens multos in variis locis diſcipulos reliquit, eoſque adverſus hoſtis fraudes confirmavit, atque excitavit*.

(α) Fl. θεοφόρος.

(β) Fl. hinc exorditur caput tertium.

tium congregati: ita ut illic duodecim Monaſteria cum omnipotentis Jeſu Chriſti Domini opitulatione conſtrueret: in quibus ſtatutis Patribus, duodenos Monachos deputavit, paucos vero ſecum retinuit, quos adhuc in ſua præſentia aptius erudiri judicavit. Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ Urbis nobiles, & religioſi concurrere, ſuoſque ei filios omnipotenti Domino nutriendos dare. Tunc quoque bonæ ſpei ſuas ſoboles (a) Æquitius Maurum, Tertullus vero Patricius Placidum tradidit: e quibus Maurus junior, cum bonis polleret moribus, Magiſtri adjutor cœpit exiſtere. Placidus vero puerilis adhuc indolis annos gerebat.

De

ϑεν ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ παραγεγόνασιν, αἰτούμενοι ὑπὸ τὴν αὐτοῦ θεόσδοτον ποιμανθῆναι χάριν. ὁ δὲ φιλόθεός τε, καὶ φιλόψυχος πατὴρ Βενέδικτος δώδεκα αὐτόθι μοναστήρια τῇ τοῦ Χριστοῦ δυνάμει συνεστήσατο. ἐν οἷς ὥρισε (α) δώδεκα μοναχοὺς ἐν ἑκάστῃ μονῇ εἶναι. ὀλίγους δὲ μεθ' ἑαυτοῦ κατέσχεν, οὓς ὑπὸ τῆς ἑαυτοῦ (β) διδασκαλικὴν παιδαγωγίαν ποιμανθῆναι ἔκρινεν. ἤρξαντο οὖν λοιπὸν πλεῖστοι, καὶ ἐκ τῆς Ῥωμαίων πόλεως εὐγενέστατοι καὶ (γ) σπουδαῖοι πρὸς αὐτὸν φοιτᾷν, καὶ τοὺς ἑαυτῶν υἱοὺς δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ προσφέρειν. τότε τοίνυν τῆς καλῆς ἐλπίδος τὰ τέκνα (δ) Εβίτζιος καὶ Μαῦρος πρὸς αὐτὸν ἀπετάξαντο, καὶ Τέρτυλλος δὲ ὁ πατρίκιος Πλάκιδον παρέδωκεν· ἐξ ὧν ὁ Μαῦρος νεανικώτερος ὑπάρχων, ἡνίκα τοῖς ἀγαθοῖς συνηύξησεν ἤθεσιν, ἤρξατο λοιπὸν συνεργὸς τοῦ διδασκάλου γίνεσθαι· ὁ δὲ (ε) Πλάκιδος νέος ἔτι ὑπάρχων ἀσκητικοῖς πόνοις τὴν ἑαυτοῦ νεότητα κατεδάμαζεν.

Πε-

(a) Subl. A. *Sevitius*. Alii, *Eutychius*. Alii, *Evicius*. Gr. Int. *Ebitzius*. Æquitium non Euticium vel Evitium ſcribendum concordi Caſinenſium Codicum, uno vel altero excepto, lectione probari affirmat Angelus de Nuce.

(α) MSS. δὶς δέκα.

(β) Reg. διδασκαλίαν καὶ παιδαγωγίαν ἔκρινε.

(γ) Reg. σπουδαῖοι ἄνδρες.

(δ) Reg. Εβίζιος.

(ε) Fl. & Reg. Πλακίδας hic & alibi.

(a) De monacho vagæ mentis, qui ad ſalutem rediit.

CAP. IV.

IN uno autem ex eis Monaſteriis, quæ circumquaque conſtruxerat, quidam Monachus erat, qui ad orationem ſtare non poterat: *(b)* ſed mox, ut ſe Fratres ad ſtudium orationis inclinaſſent, ipſe egrediebatur foras, & mente vaga, terrena aliqua, & tranſitoria agebat. Cumque ab Abbate ſuo ſæpius fuiſſet ammonitus, ad virum Dei deductus eſt: qui ipſe quoque ejus ſtultitiam vehementer increpavit, & ad Monaſterium reverſus vix duobus diebus viri Dei ammonitionem tenuit. Nam die tertio ad uſum proprium reverſus, vagari tempore orationis cœpit. Quod

cum

Περί τινος μοναχοῦ ἐῶντος τὴν μονὴν, καὶ σχολάζοντος εἰς γηίνας θεωρίας.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Δ'.

ΕΝ ἑνὶ δὲ τῶν αὐτῶν μοναστηρίων, (α) ὧν πέριξ συνεστήσατο ὁ τοῦ Θεοῦ θεράπων Βενέδικτος, ἦν τις μοναχὸς ὑπὸ ῥαθυμίας ὀχλούμενος· ὅστις τοῦ τῆς προσευχῆς καιροῦ στῆναι σὺν τοῖς ἀδελφοῖς οὐκ ἐκαρτέρει. ἀλλ' ἡνίκα πάντες οἱ ἀδελφοὶ εἰς γονυκλισίαν ἑαυτοὺς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἐστρώννυον, ἐκεῖνος ἐξήρχετο ἔξω, καὶ τῇ ἀργολογίᾳ, καὶ ῥαθυμίᾳ ἑαυτὸν ἐξεδίδου. ὁ δὲ τούτου ἀββᾶς πολλάκις αὐτὸν νουθετήσας, καὶ μηδὲν ἀνύσας πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον τοῦτον ἀπήγαγεν. ὅστις αὐτοῦ τὴν ματαιότητα σεμνῶς τε καὶ πρεπόντως διήλεγξεν, καὶ τῇ νουθεσίᾳ τοῦτον στηρίξας ἀπέλυσεν. ὁ δὲ ἐν τῷ μοναστηρίῳ ὑποστρέψας, μόλις δύο ἡμέρας ἐν τῇ τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ νουθεσίᾳ διέμεινεν. ἐπὶ τοίγε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ εἰς τὸ διαβολικὸν ἔθος ὑποστρέψας πλάζεσθαι τοῦ καιροῦ τῆς προσευχῆς ἤρξατο. ὁ δὲ τούτου ἀββᾶς θεασά-

D με-

(a) Alii, *De Monacho vagæ mentis ad ſalutem reducto*. Alii, *De caſtigatione Monachi vagi*. In Gr. Zach. *De quodam Monacho Monaſterium deſerente, & terrenis cogitationibus vacante.*

(b) In Gr. *Sed quando fratres omnes coram Deo ſemetipſos proſternebant genuflexi, ipſe egrediebatur foras, ſeque otioſis ſermonibus & inertiæ tradebat.*

(α) Fl. *ὥνπερ συνεστήσατο.*

cum ſervo Dei ab eodem Monaſterii Patre, quem conſtituerat, nunciatum fuiſſet, dixit: Ego venio, eumque (*a*) per me emendo. Cumque vir Dei veniſſet in eodem Monaſterio, & conſtituta (*b*) hora, expleta Pſalmodia, ſe ſe Fratres in orationem dediſſent, aſpexit quod eundem Monachum, qui manere in oratione non poterat, quidam niger puerulus per veſtimenti fimbriam foras traheret. Tunc eidem Patri Monaſterii Pompejano nomine, & Mauro Dei famulo ſecreto dixit: Numquid non aſpicitis quis eſt, qui iſtum Monachum foras trahit? qui reſpondentes dixerunt: Non. Quibus ait: oremus, ut vos etiam videatis, quem iſte ſequitur Monachus. Cumque per biduum eſſet oratum, Maurus Monachus vidit, Pompejanus autem ejuſ-

μενος αὐτὸν, ὑπὸ τοῦ τῆς ἀκηδίας (α) δαίμονος νικηθέντα, αὖθις πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον παραγενόμενος, διηγήσατο (β) αὐτῷ τὰ κατὰ τὸν ἀδελφόν. ὁ δὲ ἅγιος εἶπε πρὸς αὐτόν· ἐγὼ ἐλθὼν δι᾽ αὐτοῦ διορθοῦμαι αὐτόν. ἐλθόντος οὖν αὐτοῦ (γ) εἰς τὴν μονὴν, καὶ τῇ ὡρισμένῃ ὥρᾳ, ἡνίκα ἐπληρώθη ὁ τῆς ψαλμῳδίας ὕμνος, καὶ ἑαυτοὺς οἱ ἀδελφοὶ εἰς προσευχὴν δεδώκασι γόνυ κλίναντες, εἶδεν ὁ ἅγιος· καὶ ἰδοὺ νεανίσκος τις αἰθίοψ τῷ εἴδει κρατήσας τὸ πτερύγιον τοῦ ἱματίου τοῦ ἀδελφοῦ ἐκείνου τοῦ ἐν τῇ προσευχῇ καρτερῆσαι μὴ δυναμένου, εἷλκεν αὐτὸν ἔξω τῆς ἐκκλησίας. τότε ὁ ἅγιος τῷ προεστῶτι τῆς μονῆς ἐκείνης Πομπηιανῷ τοὔνομα, καὶ Μαύρῳ τῷ δούλῳ τοῦ Θεοῦ μυστικῶς εἶπεν· οὐχ ὁρᾶτε τίς ἐστιν ὁ τὸν μοναχὸν τοῦτον ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἕλκων; οἱ δὲ ἀποκριθέντες, εἶπον· οὐχὶ, πάτερ. πρὸς οὓς ὁ ἅγιος εἶπεν· εὐξώμεθα ὅπως καὶ ὑμεῖς θεάσησθε ὃν οὗτος ὁ μοναχὸς ἀκολουθεῖ. ὡς δὲ ηὔξαντο ἐπὶ δύο ἡμέρας, Μαῦρος ὁ μοναχὸς ἐθεάσατο, Πομπηιανὸς δὲ ὁ τοῦ αὐτοῦ μοναστηρίου πατὴρ θεωρῆσαι οὐκ ἠδυνήθη. τῇ δὲ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ πληρωθείσης τῆς εὐχῆς ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρω-

(*a*) Alii, *permemetipſum*. In Gr. *per ſemetipſum*.

(*b*) Alii, *hora orationis pſalmodiæ ſeſe fratres*. In Gr. *eo igitur ad Monaſterium veniente, & conſtituta hora cum pſalmodiæ hymnus abſolutus fuiſſet, ſeque fratres ad orationem flexis genibus dediſſent*.

(α) Reg. διαβόλου.

(β) In Fl. deeſt αὐτῷ.

(γ) MSS. ἐν τῇ μονῇ.

ejuſdem Monaſterii Pater videre non potuit. Die igitur altera expleta oratione vir Dei oratorium egreſſus, ſtantem foris Monachum repperit, quem pro cæcitate cordis ſui, virga percuſſit: qui ex illo die nihil perſuaſionis ulterius a nigro jam puerulo pertulit, ſed ad orationis ſtudium immobilis permanſit: ſicque antiquus hoſtis (*a*) dominari non auſus eſt in ejus cogitatione, ac ſi ipſe percuſſus fuiſſet ex verbere.

(*b*) *De aqua, quam in vertice montis ex petra produxit.*

CAP. V.

Ex his autem Monaſteriis, quæ in eodem loco conſtruxerat, tria ſurſum in rupibus montis erant, & valde erat Fratri-

θρωπος ἐξελθὼν ἐκ τοῦ εὐκτηρίου ἑστῶτα ἔξω τὸν μοναχὸν εὗρε, καὶ τοῦτον διὰ τὴν τύφλωσιν τῆς καρδίας αὐτοῦ τῇ ῥάβδῳ ἔτυψεν. ὅστις ἀπ' αὐτῆς τῆς ἡμέρας ἠλευθερώθη ἐκ τῆς συνεχούσης αὐτὸν ῥαθυμίας τοῦ δαίμονος, καὶ λοιπὸν ἐν τῇ προσευχῇ προθύμως σὺν τοῖς ἀδελφοῖς μέχρι συμπληρώσεως διέμενε, μηκέτι τοῦ ἐχθροῦ ἐκείνῳ τῷ ἀδελφῷ προσψαῦσαι τολμήσαντος, ὡς οἷα ὑπὸ τοῦ ἁγίου τῇ πληγῇ τῆς ῥάβδου μαστιγωθείς.

(α) Περὶ τοῦ ἐξελθόντος χειμάῤῥου διὰ προσευχῆς αὐτοῦ ἐκ πέτρας ζώσης.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Ε'.

Ἐκ τῶν ῥηθέντων τοίνυν μοναστηρίων, ὧνπερ ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ συνεστήσατο (β) ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ Βενέδικτος, τρία δὲ αὐτῶν ὑπεράνω (γ) τοῦ ὄρους ἦσαν κρημνῶν

 καὶ

(*a*) In quibuſdam, *ulterius dominari.*

(*b*) Alii, *De aqua viri Dei oratione in montis vertice producta.* Alii, *De fonte in vertice montis viri Dei oratione producto.* In Gr. *De torrente viva ex petra oratione ejus egreſſo.*

(α) In Fl. deeſt argumentum hujus capitis. In Colb. περὶ τοῦ θαύματος τῆς πηγῆς.

(β) Fl. ὁ ἅγιος πατὴρ Βενέδικτος. Colb. ὁ ἅγιος πατὴρ ἡμῶν Βενέδικτος.

(γ) Colb. τῷ τοῦ ὄρους ἄνω κρημνῷ.

tribus laborioſum, ſemper ad lacum deſcendere, ut aquam haurire debuiſſent: maxime quia ex devexo montis latere erat grave deſcendentibus (*a*) in itinere periculum. Tunc collecti Fratres ex eiſdem tribus Monaſteriis, ad Dei famulum Benedictum venerunt, dicentes: Laborioſum nobis eſt propter aquam (*b*) Pater, cotidie uſque ad lacum deſcendere, & idcirco neceſſe eſt ex eodem loco Monaſteria mutari. Quos (*c*) blande conſolatos dimiſit, & nocte eadem cum parvo puerulo nomine Placido, cujus ſuperius memoriam feci, ejuſdem montis aſcendit rupem, ibique diutius oravit, & oratione completa, tres petras in loco eodem pro ſigno poſuit, atque ad ſuum, (*d*) cunctis illic neſcientibus Monaſterium

καὶ σφόδρα ὑπῆρχε τοῖς ἀδελφοῖς ἐπίμοχθον (α) τὸ διηνεκῶς κατέρχεσθαι εἰς τὸν λάκκον, καὶ τὴν τοῦ ὕδατος ποιεῖσθαι χρείαν. ἡ γὰρ πάροδος διὰ τοῦ ἐπικινδύνου μέρους τοῦ ὄρους ἦν, ὥστε σὺν φόβῳ πολλῷ κατιέναι αὐτοὺς, καὶ ἀνέρχεσθαι. τότε συναχθέντες οἱ ἐν τοῖς τρισὶν ἐκείνοις μοναστηρίοις κατοικοῦντες μοναχοὶ πρὸς τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ Βενέδικτον παρεγένοντο, παρακαλοῦντες αὐτὸν καὶ λέγοντες· πάτερ τίμιε, δύσκολον ἡμῖν ἐστὶ διὰ τὴν τοῦ ὄρους ἀμφίκρημνον διάβασιν ἕως τοῦ λάκκου κατέρχεσθαι, καὶ τὴν τοῦ ὕδατος χρείαν ποιεῖσθαι. ἐπάναγκες οὖν ἐστι μετοικῆσαι τὰ μοναστήρια, ἵνα μή τινες τῶν ἀδελφῶν ὀλισθήσαντες βιαίῳ θανάτῳ περιπέσωσιν. οὓς παραινετικοῖς τε καὶ παρακλητικοῖς λόγοις ἀπαλείψας ἀπέλυσεν. αὐτῇ δὲ τῇ νυκτὶ παραλαβὼν νεανίαν τινὰ μεθ' ἑαυτοῦ Πλάκιδον τοὔνομα, οὗ (β) καὶ τὸ πρὶν μνείαν ἐποιησάμην, ἀνῆλθεν (γ) ἐν τῷ αὐτῷ τοῦ ὄρους δυσβάτῳ κρημνῷ, καὶ αὐτόθι ἐν τῇ πρὸς Θεὸν δεήσει προσκαρτερήσας, ἀναστὰς ἀπὸ τῆς προσευχῆς, καὶ τρεῖς ἀράμενος λίθους, ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ ἀπὸ σήματος ἔθετο.

καὶ

(*a*) Alii legunt, *in timore periculum*, quam lectionem ab Angelo de Nuce confidenter rejectam Græci Interpretis autoritas confirmat, & præterea MSS. Gallicani, ut teſtatur Mabillonius.

(*b*) In utroque Subl. & in aliis deeſt *Pater*, non tamen in Gr.

(*c*) Alii, *blande conſolans*. Alii, *blande conſolatus*, ut in Gr. Zach.

(*d*) In pleriſque excuſis, *cunctis illis neſcientibus*.

(α) Fl. τὸ διηνεκῖς. Reg. τὸ διηνεκῶς. Colb. τοῦ διηνεκῶς.

(β) Fl. καὶ πρίν.

(γ) Fl. ἐν τῷ τοῦ ὄρους.

rium rediit. Cumque die alio ad eum pro neceſſitate aquæ prædicti Fratres rediiſſent, dixit: Ite & rupem illam, in qua tres ſuper ſe invicem poſitas petras inveneritis, in modico cavate, valet enim omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, ut vobis laborem tanti itineris dignetur auferre. Qui euntes, rupem montis, quam Benedictus prædixerat, jam ſudantem invenerunt. Cumque in ea concavum locum feciſſent, ſtatim aqua repletus eſt, quæ tam ſufficienter emanavit, ut nunc uſque ubertim defluat, atque ab illo montis cacumine uſque ad inferiora derivetur.

καὶ πάντων ἀγνοούντων (α) τὸ γεγονὸς θαῦμα ἐν τῷ ἑαυτοῦ ὑπέστρεψε κελλίῳ. τῇ δὲ ἐπαύριον παρεγένοντο πρὸς αὐτὸν οἱ προειρημένοι ἀδελφοὶ διὰ τὴν προτέραν τοῦ ὕδατος αἴτησιν. ὁ δὲ ὅσιος πρὸς αὐτοὺς εἶπεν· ἀπέλθετε, τέκνα, ἐν ἐκείνῳ τῷ κρημνῷ, ἐν ᾧ εὑρήσετε τρεῖς λίθους ὑπέρθεν ἀλλήλων κειμένους, καὶ ἐν αὐτῷ (β) τῷ τόπῳ ὀρύξατε. δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ παντοδύναμος Θεὸς καὶ ἐν ἐκείνῳ τῷ ὕψει τοῦ ὄρους ὕδωρ ὑμῖν δαψιλὲς παρασχεῖν, καὶ τὴν ἐπίμοχθον δυσκολίαν τῆς ὁδοῦ ῥᾳδίαν ποιῆσαι. οἱ δὲ ἀπελθόντες ἐν τῷ τοῦ ὄρους κρημνῷ εὗρον οὕτως καθὼς ὁ πατὴρ εἶπεν, ἐν ᾧ τόπῳ ἡ τοῦ ὄρους ἄνυδρος σκληρότης ἰκμάδας τινὰς καὶ ἱδρῶτας ὕδατος ἀνέπεμπεν. ποιήσαντες οὖν ὄρυγμα μέγα, παραυτὰ ὑδάτων πλῆθος ἀνέβλυσεν, ἅπερ μέχρι τοῦ νῦν ἀφθόνως (γ) ὑπερχεῖται, τὴν τοῦ ἁγίου θαυματουργίαν εἰς τὸ διηνεκὲς πᾶσι δεικνύοντα, ἡ δὲ τῶν ὑδάτων περίσσεια ὑπὸ τὸ ὄρος διεκτρέχουσα φαίνεται.

(α) In Fl. deeſt τὸ γεγονὸς θαῦμα.
(β) Reg. τῷ τόπῳ τοῦ κρημνοῦ.
(γ) Fl. ὑπερεκχώεται. Alii, ὑπερεκχεῖται.

(a) De Ferro ex profundo aquæ ad manubrium reverſo.

C A P. VI.

ALio quoque tempore Gothus quidam pauper ſpiritu ad converſionem venit, quem Domini vir Benedictus libentiſſime ſuſcepit. Quadam vero die ei dari ferramentum juſſit, (*b*) quod ad falcis ſimilitudinem falcaſtrum vocatur, ut de loco quodam vepres abſcideret, quatinus illic fieri hortus deberet. Locus autem ipſe, (*c*) quem mundandum Gothus ſuſceperat, ſuper ipſam lacus ripam jacebat. Cumque Gothus iſdem denſitatem veprium totius virtutis anniſu ſuccideret, ferrum de manubrio proſiliens, in lacum cecidit, ubi ſcilicet tanta erat aquarum profun-

(α) Περὶ τοῦ (β) ἐκπεσόντος ἐν τῇ λίμνῃ σιδηροῦ ἐργαλείου.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ϛʹ.

ΑΛλοτε πάλιν ἀνήρ τις τῷ μὲν γένει Γότθος, πτωχὸς δὲ τῷ πνεύματι, ἐν ἐπιστροφῇ μετανοίας πρὸς τὸν ἡγιασμένον Βενέδικτον παρεγένετο, ὃν ὁ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ προθύμως ὑπεδέξατο. ἐν μιᾷ δὲ τῶν ἡμερῶν ἐκέλευσεν ὁ ἅγιος τινὶ τῶν ἀδελφῶν δοῦναι αὐτῷ σιδηροῦν ἐργαλεῖον, ὅπερ ἐπιχωρίως ὀνομάζεται (γ) ξυλοκόπιν, πρὸς τὸ ἐκκαθάραι ἀκανθώδη καὶ φρυγανώδη τόπον, ὅπως δυνηθῶσι γεωργῆσαι κῆπον τοῖς ἀδελφοῖς. ὁ δὲ τόπος ἐκεῖνος, ὃν ἐπὶ τὸ καθάραι Γότθος (δ) ἐδέξατο, ὑπεράνωθεν τοῦ λάκκου ἦν. ἡνίκα δὲ Γότθος τὰ τῶν ἀκανθῶν δάση τῇ τοῦ πατρὸς πειθόμενος ὑπακοῇ δυνάμει ἐξέκοπτε, τὸ σιδηροῦν ἐργαλεῖον ἐκ τοῦ συμβεβηκότος ἐν τοιούτῳ βάθει τοῦ λάκκου πέπτωκεν, ἐν ᾧ οὐκ ἦν προσδοκία τῆς εὑρέσεως αὐτοῦ. ὁ δὲ προῤῥηθεὶς Γότθος πρὸς Μαῦρον τὸν μοναχὸν ἔδραμεν, καὶ

(*a*) Alii, *De rejunctione ferri cum manubrio.*

(*b*) Alii, *quod a falcis ſimilitudine.*

(*c*) Alii plures, *quem ad mundandum.*

(α) Colb. περὶ τοῦ Γότθου τοῦ ξυλοκοπαίου.

(β) Fl. ἐμπισόντος.

(γ) Fl. & Colb. ξυλοκόπην. Reg. ξυλοκόπιον.

(δ) In Fl. deeſt ab ἐδέξατο uſque ad δὲ.

funditas, ut ſpes requirendi ferramenti nulla jam eſſet. Itaque ferro perdito, tremebundus ad Maurum Monachum cucurrit Gothus, damnum quod fecerat nunciavit, (*a*) & reatus ſui egit pænitentiam. Quod Maurus quoque Monachus mox Benedicto famulo Dei curavit indicare. Vir igitur Domini Benedictus hæc audiens, acceſſit (*b*) ad locum, tulit de manu Gothi manubrium, & miſit in lacum: & mox ferrum de profundo rediit, atque in manubrium intravit. Qui ſtatim ferramentum Gotho reddidit, dicens: Ecce labora, & noli contriſtari.

καὶ τὸ συμβὰν ἀνήγγειλεν αὐτῷ, καὶ ὑπὲρ τοῦ σφάλματος μετάνοιαν ἐξῃτεῖτο. ὁ δὲ μοναχὸς Μαῦρος σπουδαίως τὸ γεγονὸς ἀνήγγειλε τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ. ὁ δὲ θαυματουργὸς οὗτος ἀνὴρ ταῦτα ἀκούσας, ἦλθεν εἰς τὸν τόπον, ἐν ᾧ (α) ἦν πεσὸν τὸ σιδήριον. καὶ ἄρας τὸ (β) μανούβριον ἐκ τῶν τοῦ Γότθου χειρῶν, καὶ (γ) τοῦτο τὸ μέρος ἐν ᾧ ἦν καθηλωμένον τὸ ἐργαλεῖον ἐν τῷ λάκκῳ χαλάσας, (δ) εὐθέως ἐκ τοῦ βυθοῦ τοῦ ὕδατος τὸ ἐργαλεῖον ἀνελθὸν, εἰσῆλθεν ἐν τῷ ἑαυτοῦ τόπῳ. ὅπερ ἀκωθοκόπον ἐργαλεῖον ἀπέδωκεν ὁ ἅγιος τῷ Γότθῳ, εἰπών. ἰδοὺ τὸ ἐργαλεῖον δεξάμενος τοῦτο ἐργάζου, καὶ μηδὲν λυπηθῇς.

De Πε-

(*a*) In Gr. *& pro reatu ſuo pænitentiam egit*.

(*b*) Alii, *ad lacum*; priorem lectionem, Gr. Int. confirmat.

(α) Fl. ἦν τὸ πεσὸν.

(β) Fl. μανύβριον. Reg. & Colb. μανούγριον.

(γ) Fl. τούτου τὸ μέρος.

(δ) In Fl. deeſt εὐθέως.

(a) De ejus diſcipulo, qui ſuper aquas pedibus ambulavit.

C A P. VII.

QUadam vero die, dum iſdem venerabilis Benedictus in Cella conſiſteret, prædictus Placidus puer ſancti viri Monachus, ad hauriendam de lacu aquam egreſſus eſt: (*b*) qui vas, quod tenuerat, in aquam incaute ſummittens, ipſe quoque cadendo ſecutus eſt. Quem mox unda rapuit, & pene in unius ſagittæ curſu, a terra introrſus traxit. Vir autem Dei intra Cellam poſitus, hoc protinus agnovit, & Maurum feſtine vocavit dicens: Frater Maure curre, quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit, jamque eum unda longius tra-

Περὶ Μαύρου μοναχοῦ τοῦ ἐπὶ τῶν ὑδάτων πεζεύσαντος.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Ζʹ.

ΕΝ μιᾷ τῶν ἡμερῶν τοῦ σημειοφόρου (α) τούτου ἀνδρὸς Βενεδίκτου ἐν τῷ ἑαυτοῦ ἡσυχάζοντος κελλίῳ ὁ προλεχθεὶς μοναχὸς Πλάκιδος ἐπὶ τὸ ἀντλῆσαι ὕδωρ εἰς τὸν λάκκον παραγέγονε. τὸ οὖν σκεῦος ἐν ᾧ τὸ ὕδωρ ἀντλῆσαι ἠβούλετο ἐκ τῆς χειρὸς αὐτοῦ πεσὸν, διὰ τῆς τοῦ ὕδατος ῥύμης ἐπεφέρετο. θέλων δὲ ὁ ἀδελφὸς ἐκ τοῦ ὕδατος ἀφαρπάσαι τὸ κεράμιον, καὶ (β) αὐτὸν ὀλισθήσας, πέπτωκεν ἐν τοῖς ὕδασι, καὶ ὑπὸ τῆς τῶν ὑδάτων σφοδροτάτης κινήσεως, ἐπὶ τὰ ἔνδον τοῦ λάκκου, σχεδὸν εἰπεῖν, ὡσεὶ τόξου βολὴν ὁ μοναχὸς Πλάκιδος ἐφέρετο. ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ πιστὸς θεράπων Βενέδικτος ἔνδον τοῦ ἑαυτοῦ κελλίῳ σχολάζων, διέγνω τὸ συμβὰν, καὶ τὸν ἑαυτοῦ μαθητὴν Μαῦρον συντόμως καλέσας ἔφη πρὸς αὐτόν. ἀδελφὲ Μαῦρε, σπεῦσον ὅτι ὁ ἀδελφὸς Πλάκιδος εἰς τὸν λάκκον ἀνέπεσε, καὶ (γ) ἡ τῶν ὑδάτων κίνησις μακρὰν

(*a*) Alii, *De Mauro ejus diſcipulo*. Alii, *De ambulatione Mauri ſuper aquam*. In Gr. *De Mauro monacho, qui ſuper aquam pedibus ambulavit*.

(*b*) In Gr. *Vas igitur, in quo aquam haurire volebat, e manibus ipſius elapſum aquæ impetu ferebatur. Volens autem frater amphoram ex aqua reducere, lapſus & ipſe cecidit in aquam.*

(α) Colb. & Reg. τούτου τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς.

(β) Fl. αὐτὸς.

(γ) Fl. αἱ τῶν ὑδάτων κινήσεις μακρὰν αὐτὸν ἀπήγαγον.

trahit. Res mira, & poſt Petrum Apoſtolum inuſitata. Benedictione etenim poſtulata, atque percepta, ad Patris ſui imperium concitus perrexit Maurus. Atque uſque ad eumdem locum, quo ab unda ducebatur puer, per terram ſe ire exiſtimans, ſuper aquam cucurrit, eumque per capillos tenuit, rapido curſu rediit. Qui mox terram tetigit, ad ſe reverſus poſt terga reſpexit, & quia ſuper aquas cucurriſſet agnovit, & quod præſumere non potuiſſet, ut fieret, miratus (*a*) expavit factum. Reverſus itaque ad Patrem, rem geſtam retulit. Vir autem Domini venerabilis Benedictus, hoc non ſuis meritis, ſed obedientiæ illius deputare cœpit. At contra Maurus pro ſolo ejus imperio factum dicebat: ſeque conſcium in illa

κρατῶ αὐτὸν ἀπήγαγεν. (α) θαυμαστὸν πρᾶγμα, καὶ μετὰ Πέτρον τὸν ἀπόστολον ξένη ἐπιστροφή. αἰτηθεῖσα γὰρ παρὰ Μαύρου τοῦ μοναχοῦ πιστῶς καὶ ὑπὸ τοῦ μακαρίου Βενεδίκτου παραχεθεῖσα συντόμως ἐβάδιζε τῇ τοῦ πατρὸς κελεύσει, καὶ ἐν τῷ τόπῳ γινόμενος, ἐν ᾧ ἐν τοῖς ὕδασιν ὁ Πλάκιδος ἐφέρετο, ἀδιστάκτῳ τῇ πίστει, καὶ (β) ταῖς τοῦ πατρὸς εὐχαῖς θαῤῥῶν ἐπέβη τοῖς ὕδασι, καὶ ὡς ἐπὶ ξηρᾶς δρομαίως ἐβάδιζεν ἕως τοῦ τόπου, ἐν ᾧ διὰ τῆς τοῦ ὕδατος ὁρμῆς ὁ Πλάκιδος ἐπεφέρετο, καὶ δραξάμενος τῶν τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ τριχῶν ὀξυτάτῳ δρόμῳ ὑπέστρεψεν. ὅστις δ' εὐθέως ἐπὶ (γ) τὴν ξηρὰν ἐλθὼν, καὶ ἐν ἑαυτῷ γινόμενος, καὶ ἐπιγνοὺς, ὅτι ἐπάνω τῶν ὑδάτων ἔδραμε, καὶ ὅτι αὐτομολῆσαι τοῖς ὕδασιν ἀδύνατον αὐτῷ ἦν, εἰ μὴ ἡ τοῦ σημειοφόρου πατρὸς εὐχὴ τοῦτον (δ) ἐνίσχυσε, θαυμάσας ἐστόμασε τὸ γινόμενον, καὶ ὑποστρέψας πρὸς τὸν πατέρα τὸ τελεσθὲν θεῖον τεράστιον ἀνήγγειλεν αὐτῷ. ὁ δὲ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ Βενέδικτος τοῦτο τὸ θαῦμα οὐ τῇ ἑαυτοῦ ἁγιότητι, ἀλλὰ τῇ ἐκείνου ὑπακοῇ ἐπεγράφετο. ὁ δὲ Μαῦρος τὴν τοῦ ἁγίου τιμιωτάτην κέλευσιν ἔφασκεν

E τοῦτο

(*a*) Subl. A. *expavit factum, & tremefactus*. Subl. B. *extremuit factum*.

(α) Fl. θαυμαστὸν πρᾶγμα καὶ μετὰ Πέτρον τὸν ἀπόστολον. ξένη ἐπιστροφή. αἰτηθεὶς γὰρ παρὰ Μαύρου τοῦ μοναχοῦ πιστῶς, καὶ ὑπὸ τοῦ μακαρίου Βενεδίκτου παραχεθεὶς συντόμως. Reg. & Colb. θαυμαστὸν πρᾶγμα ὅτι καὶ μετὰ Πέτρον τὸν ἀπόστολον γέγονε. ξένη ἐπιστροφὴ αἰτηθεῖσα παρὰ Μαύρου τοῦ μοναχοῦ πιστῶς, καὶ ὑπὸ τοῦ μακαρίου Βενεδίκτου παραχεθεῖσα συντόμως.

(β) Fl. ἐν ταῖς τοῦ πατρός.

(γ) Colb. τὴν πέτραν.

(δ) Reg. ἐνίσχυσε καὶ θαυμάσας τὸ γεγονὸς ἐστόμαξεν, καὶ ὑποστρέψας. Colb. quoque habet ἐστόμαξεν.

illa virtute non eſſe, quam neſciens feciſſet. Sed (*a*) in hac humilitatis mutuæ amica contentione, acceſſit arbiter puer, qui ereptus eſt, nam dicebat: Ego cum ex aqua traherer, ſuper caput meum Abbatis Melotem videbam, atque ipſum me ex aquis (*b*) reducere conſiderabam.

PETRUS. Magna ſunt valde, quæ narras, & multorum ædificationi pro futura: Ego autem boni viri miracula, quo plus bibo, (*c*) plus ſitio.

De

τοῦτο πεπραχέναι. ἔλεγε γὰρ μὴ εἶναι ἑαυτὸν ἐν αὐτῇ τῇ δυνάμει, (α) ᾗ ἦν ὅτε ἐπέβη τοῖς ὕδασι. προσχὼν δὲ ὁ μοναχὸς Πλάκιδος τῇ τούτων θεομιμήτῳ (β) ταπεινολογίᾳ καὶ προσφιλεστάτῃ ἀμφιλογίᾳ, ἔλεγεν· ἐγὼ ἐν ὅσῳ ἐσυρόμην ὑπὸ τῆς τῶν ὑδάτων ὁρμῆς, ἐπάνω τῆς κεφαλῆς μου τοῦ ἀββᾶ μου τὴν μηλωτὴν ἐθεώρουν, καὶ αὐτόν με ἐκ τῶν ὑδάτων ἐκβάλλοντα κατενόουν.

ΠΕΤΡ. Μεγάλα εἰσὶν σφόδρα ἅπερ λέγεις, καὶ μεγίστην ψυχαῖς οἰκοδομὴν παρέχοντα. ἐγὼ δὲ τοῦ ἁγίου τούτου ἀνδρὸς τὰ (γ) θαυμάσια, (δ) ὅσῳ πλεῖον ἐκπίνω, πλειοτέρως διψῶ.

Πε-

(*a*) Subl. B. *mutua & amica*. Alii, *in hac humilitatis mutua amicaque contentione*. Hæſt. *in hac itaque mutua humilitatis & amica contentione*. Græc.Int. *ad imitationem Dei inſtituta humilitate, & amiciſſima contentione*.

(*b*) Subl. uterque & alii *educere*

(*c*) Alii, *eo plus ſitio*.

(α) Fl. ἐν ᾗ.

(β) Colb. θεολογίᾳ.

(γ) Reg. & Colb. θαύματα.

(δ) Fl. ὅσον λεῖον.

(a) De infecto per venenum pane per corvum longius projecto.

C A P. VIII.

CUm jam loca eadem in amore Domini noſtri Jeſu Chriſti, longe lateque ferveſcerent, ac ſæcularem vitam multi relinquerent, & ſub leni Redemptoris jugo cervicem cordis edomarent: (*b*) ſicut mos pravorum eſt invidere aliis virtutis bonum, quod ipſi habere non appetunt: vicinæ Eccleſiæ Presbyter Florentius nomine, hujus noſtri Subdiaconi Florentii Avus, antiqui hoſtis malitia (*c*) perculſus, ſancti viri ſtudiis cœpit æmulari, ejus quoque converſationi derogare: quoſque etiam poſſet, ab illius viſitatione com-

Περὶ τοῦ ζυμωθέντος ἐν τῷ ἄρτῳ φαρμάκου.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Η'.

ΓΡΗΓ. Ἐν τῷ τὸν μακάριον διαλάμψαι ἐν τοῖς (α) τόποις ἐκείνοις, πολλοὶ διὰ τὸν πόθον τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μήκοθεν πρὸς αὐτὸν παρεγίνοντο, καὶ τὴν τοῦ βίου ματαιότητα καταλιμπάνοντες ὑπὸ τὸν χρηςὸν τοῦ κυρίου ζυγὸν τὸν ἑαυτῶν καθυπέταξαν τράχηλον. ὁ δὲ τοῦ φθόνου γεννήτωρ, καὶ τῶν ἀσεβῶν ἀρχαῖος ἐχθρὸς μὴ δυνάμενος φέρειν τὰς ἀπ' αὐτοῦ (β) ἀπαςράπτουσας τῶν θαυμάτων μαρμαρυγὰς, καὶ ὁρῶν αὐτὸν ἡττώμενον ὑπὸ τῆς τοῦ ἁγίου θεοσδότου χάριτος ἐνσκήψας ἐν ταῖς τῶν ἀτάκτων ψυχοφθόραις διανοίαις, καθὼς συνήθες αὐτοῖς ἐςι φθονεῖν τοῖς ἑτέρων κατορθώμασιν. ὁ γὰρ τοῦ καθαρεύοντος ἔπαινος τῶν ὑπὸ βασκανίας μολυνομένων ὄνειδος τυγχάνει. ὅθεν τῆς αὐτόθι γειτνιαζούσης ἐκκλησίας πρεσβύτερός

(*a*) In Gr. *De veneno pani permixto.*

(*b*) In Gr. *Invidiæ parens, & antiquus piorum hoſtis minime ferre valens effulgeſcentes ex ipſo miraculorum radios, ſeque a gratia ſancto viro divinitus data devictum conſpiciens, lethiferis pravorum hominum cogitationibus innixus, qui ſcilicet in more habent præclaris aliorum actibus invidere; laus quippe illorum, qui puri ſceleris ſunt, ignominiæ loco eſt iis, quos invidiæ labes contaminat.*

(*c*) Laur. & Hæſt. legunt *percuſſus*, melius alii *perculſus*.

(*α*) Excuſi male τόνοις ἐκείνοις.

(*β*) Fl. ἀςράπτουσας.

compeſcere. Cumque jam ſe conſpiceret ejus provectibus obviare non poſſe, & converſationis illius opinionem creſcere, atque multos ad ſtatum vitæ melioris, ipſo quoque opinionis ejus præconio indeſinenter (*a*) vocari, invidiæ facibus magis magiſque ſuccenſus, deterior fiebat: quia converſationis illius habere appetebat laudem, ſed habere laudabilem vitam nolebat. Qui ejuſdem invidiæ tenebris cœcatus (*b*) ad hoc uſque perductus eſt, ut ſervo omnipotentis Domini infectum veneno panem, quaſi pro benedictione tranſmitteret. Quem vir Dei cum gratiarum actione ſuſcepit: ſed eum, quæ peſtis lateret in pane, non latuit. Ad horam vero refectionis illius ex vicina ſilva Corvus venire conſueverat, & panem de manu ejus accipere. Qui cum more ſolito veniſſet, panem quem

τις Φλωρέντιος τοὔνομα, ὁ τοῦ ἡμετέρου ὑποδιακόνου Φλωρεντίου πάππος, τοῦ παγκάκου δαίμονος τὸ μῖσος, καὶ τὸν φθόνον ἐν ἑαυτῷ ὑποδεξάμενος ἤρξατο σκώπτειν τε καὶ βασκαίνειν ταῖς τοῦ ὁσίου ἀνδρὸς ἀρεταῖς, ἐλπίζων ἐκ τούτου πολλοὺς ἀποσπάσαι ἐκ τῆς τοῦ ἁγίου ψυχωφελοῦς διδαχῆς. ὡς δὲ τῆς φρενοβλαβοῦς ἐλπίδος ἀπέτυχε, καὶ ἐθεώρει πολλοὺς ὑπὸ τῆς ἑαυτοῦ φήμης ἑλκομένους, καὶ πρὸς αὐτὸν φοιτῶντας, καὶ ταῖς αὐτοῦ διδαχαῖς πληθυνομένους· καθάπερ ὑπὸ βελῶν τιτρωσκόμενος ὁ Φλωρέντιος τὴν μὲν τοῦ ὁσίου (α) πατρὸς πολιτείαν διέβαλλεν, ἐπαινετὴν δὲ ζωὴν ἑαυτῷ ἐπισπᾶσθαι δι' ἀσκητικῶν ἀγώνων οὐδαμῶς εἵλετο. ὅστις ὑπὸ τοῦ διαβόλου σκοτισθεὶς τοὺς τῆς καρδίας ὀφθαλμοὺς μέχρι τούτου ἐχώρησεν, ἵνα τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ δηλητηρίῳ θανατώσῃ. φυράσας γὰρ ἄλευρον, εἶτα ζυμώσας ἄρτον, καὶ ἐν αὐτῷ ἐγκρύψας θανατηφόρον φάρμακον, καὶ ὀπτήσας, ὡς δῆθεν εὐλογίας χάριν, τῷ τοῦ Θεοῦ ἀνθρώπῳ ἀπέστειλεν. ὁ δὲ διορατικὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ τὸν μὲν ἄρτον εὐχαρίστως ἐδέξατο· οὐ μέντοι δὲ διέλαθεν αὐτὸν ὁ (β) ἐν τῷ ἄρτῳ κρυπτόμενος δόλος. ἐν δὲ τῇ ὥρᾳ, ἐν ᾗ εἰώθει ὁ ἅγιος τροφῆς μεταλαμβάνειν, ὄρνεον τὸ (γ) δὴ λεγό-

(*a*) Aliqui *vocare*, alii *vacare*.

(*b*) In Gr. *ad hoc uſque perductus eſt, ut Dei ſervum veneno tollere meditaretur. Subacta enim farina ac dein pane fermentato, lethiferum in eo pharmacum abſcondidit, atque ad Dei ſervum ceu munuſculum tranſmiſit.*

(α) MSS. ἀνδρός.

(β) Reg. ὁ ἐντὸς κρυπτόμενος.

(γ) In Fl. deeſt δή.

quem Presbyter tranſmiſerat, vir Dei ante Corvum projecit, eique præcepit, dicens. In nomine Jeſu Chriſti tolle hunc panem, & tali eum in loco projice, ubi a nullo homine poſſit inveniri. Tunc Corvus aperto ore, expanſis alis circa eumdem panem cœpit diſcurrere, atque cracitare: ac ſi aperte diceret, & obedire ſe velle, & tamen juſſa implere non poſſe. Cui vir Deum iterum, atque iterum præcipiebat dicens. Leva leva ſecurus, atque ibi projice, ubi inveniri non poſſit. Qui diu demoratus, quandoque Corvus momordit, levavit, & receſſit. Poſt trium vero horarum ſpatium abjecto pane rediit, & de manu hominis Dei annonam, quam conſueverat accepit. Venerabilis autem Pater contra vitam ſuam inardeſcere Sacerdotis animum videns, (α) illi magis, quam ſibi doluit. Sed prædictus Florentius, quia Magiſtri cor-

γόμενον κόραξ ἐν τῇ συνέγγυς ὕλῃ τὴν οἴκησιν ἔχων, κατὰ τὸ σύνηθες ἤρχετο πρὸς τὸν ἅγιον, καὶ ἐκ τῶν τιμίων αὐτοῦ χειρῶν ἄρτον πρὸς τὴν τροφὴν ἑαυτοῦ ἐδέχετο. ὁ δὲ ἱερὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ λαβὼν τὸν θανατηφόρον ἄρτον, ὅνπερ ἦν αὐτοῦ ἀποστείλας Φλορέντιος ὁ πρεσβύτερος, ἔθηκεν ἐνώπιον τοῦ κόραχος, καὶ ἐκέλευσεν αὐτῷ λέγων· ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος λάβε τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ ἐν τοιούτῳ τόπῳ ῥίψον αὐτὸν, ἵνα μηδεὶς ἀνθρώπων εὑρήσῃ αὐτόν. τότε ὁ κόραξ ἀνεῳγμένῳ τῷ στόματι, καὶ ἡπλωμέναις ταῖς πτέρυξιν πέριξ (α) τοῦ αὐτοῦ περιίπτασθαι, καὶ κράζειν ἤρξατο, καὶ τοῖς κινήμασι μηνύειν τὴν ἐν αὐτῷ οὖσαν διαβολικὴν σκευωρίαν. πρὸς ὃν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος πάλιν ἤρξατο λέγειν· ἆρον τοῦτον, ἆρον ἀμερίμνως, καὶ ἐκεῖ αὐτὸν ἀπόθου, ἔνθα εὑρεθῆναι οὐ δύναται. τότε ὁ κόραξ τὴν τοῦ ἁγίου κέλευσιν ἐπλήρου, καὶ σὺν φόβῳ πολλῷ λαβὼν τὸν ἄρτον τῷ στόματι, ἀπῆλθε. καὶ τοῦτον ῥίψας ἐν τόπῳ ἀβάτῳ παντελῶς τοῖς ἀνθρώποις μετὰ τρεῖς ὥρας ὑπέστρεψε, καὶ ἐκ τῶν τοῦ ἁγίου χειρῶν τὴν εἰωθυῖαν τροφὴν ἐδέξατο. ὁ δὲ ἁπλούστατος (β) καὶ κατὰ πάντα ἐπιεικέστατος (γ) ἀνὴρ Βενέδικτος θεασάμενος (δ) τὴν τοῦ Φλορεντίου δολοφονίαν, ὅτι οὐχ οἷός τε γέγονε τὴν τούτου πονηρίαν διορθώσασθαι,

(α) In Gr. *pro illo magis quam pro ſe ipſo Deum precabatur*.
(α) Fl. τοῦ αὐτοῦ ἄρτου.

(β) Fl. καὶ τὰ πάντα.
(γ) Fl. & Reg. πατήρ.
(δ) Fl. τὴν τούτου δολοφονίαν.

corpus necare non potuit, ſe ad extinguendas diſcipulorum animas accendit: (*a*) ita ut in horto cellæ, cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas ſeptem puellas mitteret, quæ coram eis ſibi invicem (*b*) manus tenentes, & diutius ludentes, illorum mentem (*c*) ad perverſitatem libidinis inflammarent. Quod Sanctus vir de cella conſpiciens, lapſumque adhuc tenerioribus diſcipulis pertimeſcens, idque (*d*) pro ſua ſolius fieri perſecutione pertractans, (*e*) invidiæ locum dedit, atque oratoria cuncta, quæ conſtruxerat, (*f*) ſub ſtatutis præpoſitis, adjunctis Fratribus ordinavit, & paucis ſecum Mona-

θαι, ὑπὲρ ἐκείνου μᾶλλον, ἢ ὑπὲρ αὐτοῦ τῷ Θεῷ προσηύχετο. ἀλλ' ὁ προλεχθεὶς Φλωρέντιος τοῦ ἁγίου τὸ σῶμα θανατῶσαι μὴ ἰσχύσας, ἑτέραν πάλιν κακόνοιάν τε καὶ σατανικὴν πανουργίαν κατὰ τῶν τοῦ ἁγίου μαθητῶν ἐπεκτήνατο. αὐτῶν γὰρ ἐν τῷ κήπῳ ἐργαζομένων ὁ τοῦ διαβόλου ἐργάτης Φλωρέντιος ἑπτὰ κόρας ὡραίας τῷ εἴδει, (α) καὶ γυμνὰς ὅλῳ τῷ σώματι ἐν τῷ κήπῳ ἀπέστειλε. καὶ (β) ταύταις προσέταξε τοῦ στρηνιᾷν καὶ παίζειν ἐνώπιον τῶν μοναχῶν, βουλόμενος καὶ ἐν τούτῳ τὴν τῶν ἀνδρῶν ἀχρειῶσαι παρθενίαν. ἀλλὰ καὶ ἐν τούτῳ ἡ παμπόνηρος αὐτοῦ διήμαρτεν ἀφροσύνη. τὴν γὰρ τούτου διαβολικὴν ἐπίνοιαν θεασάμενος ὁ τοῦ Χριστοῦ μιμητὴς Βενέδικτος, καὶ φοβηθεὶς τὴν τῶν μαθητῶν ψυχικὴν βλάβην, ὑπὲρ δὲ μόνου τοῦ καθ' ἑαυτὸν φθόνου λογισάμενος, ταῦτα τὸν μιαρώτατον ἐκεῖνον Φλωρέντιον πράττειν, βέλτιον ἔκρινεν ὁ τοῦ Θεοῦ θεράπων διὰ τῆς ἑαυτοῦ ἀναχωρή-

(*a*) In Gr. *ipſis enim in horto laborantibus Diaboli miniſter Florentius ſeptem ſpecioſas forma puellas, ac toto corpore nudas in hortum immiſit, iiſque præcepit, ut immodeſte ſe gererent, coramque monachis luderent, volens hoc pacto inutilem reddere illorum virginitatem; ſed in hoc pariter praviſſima ejus nequitia defecit.*

(*b*) Ita MSS. magno conſenſu, Guſſanvillæus cum ceteris fere Editis *manus tendentes.*

(*c*) Subl. A. *perverſitate libidinis.*

(*d*) Hic etiam MSS. conſentiunt, quod mutantes Editi habent *pro ſui ſolius.*

(*e*) In Gr. *Convocatis igitur monaſteriorum fratribus, Præpoſitos ipſis conſtituit, iiſque Deo commendatis, ac aſſumptis ſecum nonnullis e monachis propria e cella diſceſſit.*

(*f*) Quidam, *ſubſtitutis.*

(α) Fl. γεγυμνωμένας.

(β) Fl. αὐταῖς.

nachis ablatis (*a*) habitationem mutavit loci. Mox vir Dei ejus odia humiliter declinavit, hunc omnipotens Deus terribiliter percuſſit. Nam cum prædictus Presbyter ſtans in ſolario & Benedictum diſceſſiſſe cognoſceret, & exultaret, perdurante immobiliter tota domus fabrica, hoc ipſum, in quo ſtabat, ſolarium cecidit, & Benedicti hoſtem conterens, extinxit. Quod viri Dei diſcipulus (*b*) Maurus nomine ſtatim venerabili Patri Benedicto, qui adhuc a loco eodem vix decem millibus aberat, æſtimavit eſſe nunciandum, dicens. Revertere, quia Presbyter, qui te perſequebatur, extinctus eſt. Quod vir Dei Benedictus audiens, ſe ſe in gravibus lamentis dedit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte diſcipulus exultavit. Qua de re factum eſt, ut ei-

ρήσεως τῶν οἰκείων μαθητῶν (α) πολιτεύσασθαι σωτηρίαν. καλέσας οὖν τοὺς τῶν μοναστηρίων (β) ἀδελφοὺς, καὶ οἰκονόμους αὐτοῖς ἐγκαταστήσας, παραθέμενός τε αὐτοὺς τῷ Θεῷ, λαβὼν μεθ' ἑαυτοῦ ὀλίγους τινὰς τῶν μοναχῶν, ἀνεχώρησεν ἐκ τοῦ ἑαυτοῦ κελλίου, τὸ μῖσος καὶ τὴν ἐκείνου δυσμένειαν ταπεινοφρόνως ἐκλίνας. ἀλλ' ὁ μὲν Φλορέντιος ἰωόμησεν ἁμαρτήσας διακενῆς. ὁ δὲ Θεὸς τὸν οἰκεῖον θεράποντα λυτρωσάμενος εἰς πολλῶν σωτηρίαν διεφύλαξε, πατάξας τὸν ἀλιτήριον. τοῦ γὰρ θεοστυγοῦς ἐκείνου Φλορεντίου ἐπὶ τῇ τοῦ μακαρίου (γ) ἀνδρὸς ὑποχωρήσει ἀγαλλιαθέντος, καὶ ἐν τῷ (δ) ἡλιακῷ τοῦ οἴκου, ἐν ᾧ κατῴκει, ἑστῶτος, (ε) ἀθρόον σὺν τῷ ῥηθέντι ἡλιακῷ ἀφ' ὕψους μεγάλου πέπτωκεν, ἀξίαν τῆς ἑαυτοῦ πονηρίας δίκην τίσας, καὶ θάνατον ὀλέθριον ἀπενεγκάμενος. τοῦτο θεασάμενος ὁ ἀνωτέρω πολλάκις μνημονευθεὶς Μαῦρος ὁ τοῦ ἁγίου πατρὸς φοιτητὴς, ἤδη τῷ ἁγίῳ ἀπέχοντι ὁδοῦ διάστημα σημείων δέκα ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν λέγων ὑπόστρεψον, πάτερ, ὑπόστρεψον, ὁ πρεσβύτερος γὰρ ὁ μάτην σε καταδιώξας τέθνηκε. ταῦτα ἀκούσας ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Βενέδικτος, ἑαυτὸν ἐν μεγάλῳ πένθει κατέπηξε διὰ τὸν

(*a*) Subl. uterque *habitationis mutavit locum*.

(*b*) Græc. Int. addit, *ſancti patris diſcipulus pluries ſuperius memoratus*.

(α) MSS. πραγματεύσασθαι.

(β) Reg. μοναχοὺς.

(γ) Fl. πατρὸς.

(δ) Reg. σωλαρίῳ.

(ε) Fl. ἀθρόον σὺν αὐτῷ τῷ ἡλιακῷ.

eidem quoque diſcipulo pœnitentiam indiceret, quod mandans talia, gaudere de inimici interitu præſumpſiſſet.

PETRUS. Mira ſunt, & multum ſtupenda, quæ dicis. Nam in aqua ex petra producta Moyſen, in ferro vero, quod ex profundo aquæ rediit, Heliſeum, in aquæ itinere Petrum, in corvi obedientia Heliam, (*a*) in luctu autem mortis inimici, David video. Ut perpendo, vir iſte ſpiritu juſtorum omnium plenus fuit.

GREGORIUS. Vir Domini Benedictus, Petre (*b*) unius Dei ſpiritum habuit, qui per conceſſæ redemptionis gratiam, electorum corda omnium implevit, de quo Iohannes dicit: Erat lux vera, quæ illu-

τὸν ἐκείνου οἴκτιστον θάνατον. ἐλυπήθη δὲ (α) ἐπὶ τῷ οἰκείῳ μαθητῇ, ὡς δῆθεν ἐπιχαρέντι τῷ τοῦ Φλορεντίου ἐλεεινῷ πτώματι, ἐντειλάμενος (β) αὐτῷ, μετανοεῖν (γ) ὑπὲρ τοῦ τοιούτου σφάλματος, (δ) ὡς χαραποιηθέντι ἐπὶ τῷ τοῦ Φλορεντίου θανάτῳ.

ΠΕΤΡ. Θαυμαστά εἰσιν ὄντως (ε) καὶ ἐκπλήττοντά με ἅπερ ἔφης. ἐπὶ γὰρ τοῦ ὕδατος τοῦ διὰ τῆς τοῦ μακαρίου προσευχῆς ἐκ τοῦ ὄρους (ζ) ποταμηδὸν βλύσαντος, τὸν Μωϋσῆν κατανοῶ. (η) ἐν δὲ τῷ σιδηρῷ ἐργαλείῳ, τῷ ἐκ βυθοῦ τῶν ὑδάτων τοῦ λάκκου ἀνελθόντι, Ελισσαῖον ὁρῶ· (θ) ἐν τῇ τοῦ ὕδατος πορείᾳ Πέτρον νοῶ· ἐν δὲ τῇ τοῦ κόρακος ὑπακοῇ Ηλίαν βλέπω. ὡς οὖν ὑπολαμβάνω, ὁ ἀνὴρ οὗτος χαρίσματος τοῦ πνεύματος πάντων τῶν δικαίων τούτων ἀνάπλεως ὑπῆρχεν.

ΓΡΗΓ. Ο τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Βενέδικτος, Πέτρε, (ι) ἑνὸς πνεῦμα εἶχεν, ὅπερ διὰ τῆς δωρηθείσης ἀπολυτρώσεως πάντων τῶν ἐκλεκτῶν τὰς καρδίας ἐπλήρωσε. περὶ οὗ ὁ εὐαγγελιστὴς Ιωάννης εἴρηκεν· ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. περὶ οὗ πάλιν γέ-

(*a*) Græc. Int. omiſit, *in luctu autem mortis inimici David video.*

(*b*) Aliqui, *unum ſpiritum habuit*, alii *unius ſpiritum* omiſſo *Dei*, ut in Gr.

(α) Fl. καὶ ἐπὶ.

(β) In Fl. deeſt αὐτῷ.

(γ) Fl. περὶ.

(δ) MSS. ὡς οἷα χαροποιηθέντι.

(ε) MSS. καὶ πάνυ ἐκπλήττοντα.

(ζ) In Fl. deeſt ποταμηδὸν.

(η) Fl. ἐπὶ δὲ.

(θ) Fl. ἐν δὲ.

(ι) Reg. ἑνὸς πνεύματος ὑπῆρχεν ὅπερ.

illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et de quo rurſus ſcriptum eſt: De plenitudine ejus nos omnes accepimus. Nam ſancti Dei homines potuerunt a Domino virtutes habere, non etiam aliis tradere. Ille autem ſigna virtutis dedit ſubditis, qui ſe daturum ſignum Jonæ promiſit inimicis, ut coram ſuperbis mori dignaretur, coram humilibus reſurgeret: quatinus & illi viderent, quod contempnerent, & iſti, quod venerantes amare debuiſſent. Ex quo myſterio actum eſt, ut dum ſuperbi aſpiciunt deſpectum mortis, humiles contra mortem (*a*) acciperent gloriam poteſtatis.

PETRUS. Quæſo te poſthæc, ad quæ loca vir iſte ſanctus migraverit, vel ſi aliquas in eis virtutes oſtenderit, innoteſce.

GREGORIUS. Sanctus vir ad alia demigrans, locum non

γέγραπται· περὶ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ πάντες ἐλάβομεν. Καὶ γὰρ οἱ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωποι ἅγιοι ἠξιώθησαν παρὰ κυρίου χαρισμάτων δύναμιν δέξασθαι, οὐ μὴν δὲ καὶ ἄλλοις παραδοῦναι. αὐτὸς δὲ σημεῖα δυνάμεως δέδωκεν τοῖς ὑποτεταγμένοις, ὅστις ἑαυτὸν δοτῆρα τοῦ κατὰ τὸν Ἰωνᾶν σημείου ὑπέσχετο τοῖς ἐχθροῖς δοῦναι, ὅπως ἐνώπιον τῶν ὑπερηφάνων ἀποθανεῖν καταξιώσῃ, καὶ ἐπ᾽ ὄψεσι τῶν ταπεινοφρόνων ἀναστῆναι, ἵνα ἐκεῖνοι μὲν ὅπερ καταλεῖψαι (α) ὤφελον, θεάσωνται, καὶ οὗτοι ὅπερ σεβόμενοι ἀγαπῆσαι ὤφελον: ἐξ οὗπερ μυστηρίου γέγονε τοῦτο, ἵνα οἱ μὲν ὑπερήφανοι θεάσωνται τὴν τοῦ θανάτου ἐξουδένωσιν· οἱ ταπεινόφρονες δὲ τὴν δόξαν τῆς κατὰ τοῦ θανάτου ἐξουσίας.

ΠΕΤΡ. Δυσωπῶ οὖν σε, σεβάσμιε δέσποτα, μετὰ ταῦτα· ἐν ποίοις τόποις ὁ ἅγιος ἐκεῖνος ἀνὴρ μετῴκησε, καὶ τίνας ἐν αὐτοῖς δυνάμεις διεπράξατο, γνώρισον ἡμῖν.

ΓΡΗΓ. Ὁ ὁσιώτατος οὗτος ἀνὴρ ἐν ἑτέροις μετοικήσας τόποις, οἴκησιν μὲν ἀλλα-

(*a*) Alii, *aſpicerent*, ut in Græc.

(α) Reg. & Colb. ὤφειλον, ſic etiam infra ſcribitur ὤφειλον in utroque. At in Fl. ὤφειλον priore loco, ὤφελον vero legitur ſecundo.

non hoſtem mutavit : nam tanto poſt graviora prælia pertulit , quanto contra ſe aperte pugnantem ipſum Magiſtrum malitiæ invenit. Caſtrum namque quod Caſinum dicitur in excelſi montis latere ſitum eſt , qui videlicet Mons diſtenſo ſinu hoc idem Caſtrum recipit , ſed per tria millia in altum ſe ſubrigens , velut ad aera cacumen tendit : ubi vetuſtiſſimum fanum fuit , in quo ex antiquorum more gentilium , a ſtulto ruſticorum populo Apollo colebatur . Circumquaque etiam in cultu dæmonum luci ſuccreverant , in quibus adhuc eodem tempore infidelium inſana multitudo ſacrificiis ſacrilegis inſudabat . Ibi itaque vir Dei perveniens , contrivit Idolum , ſubvertit aram , (*a*) ſuccidit lucos , atque in ipſo templo Apollinis oraculum Beati Martini , ubi vero Ara ejuſdem Apollinis fuit, ora-

ἤλλαξεν, ἐχθρὸν δὲ οὐχί. μεγάλους γὰρ μετέπειτα καὶ βαρυτέρους πολέμους ὑπὸ τοῦ τῆς κακίας εὑρετοῦ ὑπέμεινεν. ὅσον δὲ τὰς τῶν πειρασμῶν νιφάδας (α) ὁ ἀδάμαστος οὗτος ἀνὴρ καθ' ἑαυτοῦ ἐπινοουμένας ἑώρα, τοσοῦτον ἔσπευδεν ἀνταγωνιστὴν ἀήττητον ἑαυτὸν ὀφθῆναι, κατὰ τῶν ἐκείνου μηχανημάτων τῷ τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ θυρεῷ καθοπλιζόμενος. κάστρον τοίνυν ὅπερ Κάσινον λέγεται, ἐν τῷ ὑψηλῷ τοῦ ὄρους πλαγίῳ διάκειται, ὅπερ ὄρος τῇ ἑαυτοῦ ἐκτάσει τὸ εἰρημένον ἐγκολπίζεται κάστρον, καὶ ἕως τριῶν μιλίων ἡ τοῦ ὄρους ἀκρώρεια ὑπέρκειται, ὥστε παρὰ τοῖς ἀγνοοῦσιν ὡς ἀστέρα φαίνεσθαι. ἐν ᾧ παλαιότατον (β) ἱερὸν ἑλληνικὸν ὑπὸ τῶν ἀρχαίων ᾠκοδομημένον ὑπῆρχεν· ἐν τούτῳ ὑπὸ τοῦ τῶν λαοῦ ἀπλουστέρων ὁ Ἀπόλλων (γ) ἐσέβετο. κύκλῳ δὲ τοῦ μιαρωτάτου ἐκείνου ναοῦ, πλῆθος βωμῶν ἐτύγχανε. καὶ ἕως τότε τῶν ἀπίστων ἀνήρχετο ἐκεῖσε πλῆθος πολὺ, θυσίαις τε καὶ σπονδαῖς, καὶ κνίσαις τῷ αὐτόθι τοῦ Ἀπόλλωνος ἀγάλματι λατρεύοντες. ὁ δὲ τὸν νοῦν πεφωτισμένος, καὶ τῆς εὐσεβείας ζηλωτὴς Βενέδικτος ἐπὶ τὸν τόπον παραγενόμενος, καὶ (δ) θαρσαλέῳ τῷ φρονήματι εἰσελθὼν, τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἀπόλλωνος συνέτριψε, τοὺς

(*a*) Alii, *ſuccendit*, cui lectioni favere videtur verbum Gr. ἐνέπρησεν , quod præfert Editio Sammarthana , at ἐνέπρισεν *ſuccidit* , habent MSS.

(α) MSS. ὁ ἀδάμας οὗτος.
(β) Fl. μιαρὸν ἑλληνικόν.
(γ) Reg. ἐτιμᾶτο.
(δ) MSS. θαρσαλαίῳ, forte, inquit Sammarth. θαρσαλέῳ.

oraculum ſancti conſtruxit, Ioannis, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat. Sed hæc antiquus hoſtis tacite non ferens, non occulte, vel per ſomnium, ſed aperta viſione ejuſdem Patris ſe oculis ingerebat, & magnis clamoribus vim ſe perpeti conquerebatur, ita ut voces illius etiam Fratres audirent, quamvis imaginem minime cernerent. Ut enim diſcipulis ſuis venerabilis Pater dicebat, corporalibus oculis ejus idem antiquus hoſtis teterrimus, & ſuccenſus apparebat, qui in eum ore, oculiſque flammantibus ſævire videbatur. Jam vero, quæ diceret, audiebant omnes: prius enim hunc vocabat ex nomine: cui cum vir Dei minime reſponderet, ad ejus mox contumelias erumpebat. Nam cum clamaret dicens: Benedicte, Benedicte, & eum ſibi nullo modo reſpondere conſpice-

τοὺς βωμοὺς κατέστρεψε, καὶ τὰ ἄλση ἐνέπρισε, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ ναῷ τοῦ Ἀπόλλωνος εὐκτήριον ἡγιασμένον τοῦ ἁγίου Μαρτίνου πεποίηκεν. ἔνθα δὲ ὁ βωμὸς τοῦ Ἀπόλλωνος ἵδρυτο, σεβάσμιον εὐκτήριον ἡγιασμένον (α) τοῦ Ἰωάννου συνεστήσατο. ἐντεῦθεν λοιπὸν τὸ ἐκεῖσε κατοικοῦν τοῦ λαοῦ πλῆθος τῇ αὐτοῦ διδασκαλίᾳ ὁδηγούμενον πρὸς Θεὸν ἐπεστρέφετο. ἀλλὰ ταῦτα μὴ ὑποφέρων ὁ σκολιὸς τῶν πιστῶν ἐχθρὸς, οὐκέτι λοιπὸν ἀφανῶς, ἢ δι' ἐνυπνίων, ἀλλὰ φανερῶς ἑαυτὸν τοῖς τοῦ πατρὸς ὀφθαλμοῖς ἐπεδείκνυτο, καὶ μεγίσταις φωναῖς ἐβόα, βίαν αὐτὸν ὑπὸ τοῦ ἁγίου ὑπομεμενηκέναι, ὥστε καὶ τοὺς ἀδελφοὺς τῶν φωνῶν αὐτοῦ ἀκούειν, εἰ καὶ τὰ μάλιστα τοῖς σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς τοῦτον οὐκ ἐθεώρουν. πρὸς οὓς ὁ τῆς ἀληθείας διδάσκαλος ἔλεγε· πιστεύσατε, τέκνα, ὅτι τοῖς αἰσθητοῖς μου ὀφθαλμοῖς (β) τὸν ἐχθρὸν φοβερόν τινα, καὶ σπινθηρακώδη ταῖς φαντασίαις φαινόμενον ὁρῶ, ὅστις διά τε τοῦ στόματος, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν φλογὰς πυρὸς ἐκπέμπει. εἴτι οὖν ὁ δολιὸς ἐφθέγγετο, ἤκουον πάντες. πρότερον μὲν γὰρ ἐξ ὀνόματος ἐκάλει (γ) τὸν ἅγιον. ἐπείκα δὲ μηδαμῶς αὐτῷ ἀποκρινόμενον τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον ἐθεάσατο, εὐθέως ταῖς κατ' αὐτοῦ λοιδορίαις τὴν μιαρωτάτην αὐτοῦ ἐκίνησε γλῶτταν, καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ φι-

F 2

(α) MSS. τοῦ ἁγίου Ἰωάννου.
(β) Colb. τὸν ἐχθρόν τινα, καὶ ὡς σπινθ.
(γ) Reg. & Colb. τὸν δίκαιον.

ceret, protinus adjungebat: Maledicte & non Benedicte, quid mecum habes? quid me perſequeris? Sed jam nunc (a) expetenda ſunt contra Dei famulum, antiqui hoſtis nova certamina. Cui pugnas quidem volens intulit, ſed occaſiones victoriæ miniſtravit invitus.

De ingenti ſaxo per ejus orationem levato.

C A P. IX.

GREGORIUS. Quadam die dum Fratres habitacula ejuſdem (b) cellæ conſtruerent, lapis in medio jacebat, quem in ædificium levare decreverant. (c) Cumque eum duo, vel tres movere non poſſent, plures adjuncti ſunt, ſed ita immmobilis manſit, ac ſi radicitus in ter-

φίλον ταῖς ὕβρεσιν ἔβαλλεν. εἶτα πάλιν ἐφώνει τὸν ἅγιον λέγων· Βενέδικτε (α) Βενέδικτε. αὐτοῦ δὲ μὴ ἀποκρινομένου παραυτὰ προστιθεὶς ἔλεγε· κατηραμένε, καὶ οὐκ εὐλογημένε, τί ἔχεις μετ' ἐμοῦ; τί με καταδιώκεις; ὑπομνητέα εἰσὶν ὄντως τὰ κατὰ τὸν δοῦλον τοῦ Θεοῦ πρὸς τὸν ἀρχαῖον ἐχθρὸν νέα ἀγωνίσματα, ᾧτινι πολέμους τοιούτους παρήγαγεν· ἀλλὰ τῇ ὑποθέσει τῆς νίκης διηκόνησεν ὁ (β) βίος.

Περὶ λίθου παμμεγέθους διὰ προσευχῆς αὐτοῦ ἐλαφροῦ γινομένου.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Θʹ.

ΕΝ μιᾷ τῶν ἡμερῶν τῶν ἀδελφῶν κτιζόντων τὰ τοῦ κελλίου (γ) οἰκήσιν, ἔνθα τὸν ἅγιον ἡσυχάζειν ἐχρῆν, λίθος ἐν τῷ μέσῳ ἔκειτο, ὃν ἐν τῷ κτίσματι θεῖναι οἱ ἀδελφοὶ ἐβούλοντο. ἐν δὲ τῷ ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ κινῆσαι τὸν λίθον τρεῖς τὸν ἀριθμὸν τοὺς ἀδελφοὺς, τοῦτον ἀπὸ τῆς γῆς κουφίσαι οὐκ ἴσχυσαν. πλεῖστοι δὲ πάλιν (δ) συνελθόντες, καὶ μηδὲ (ε) ὀνήσαντες, διέμεινεν ὁ λίθος ἀσάλευτος, ὥστε δοκεῖν αὐτοῖς ἐρριζωμέ-

(a) Subl. uterque, & alii plures *expectanda*. In Gr. *memoranda*.

(b) In Gr. *cellæ ubi Sanctum quieſcere oportebat*.

(c) In Gr. *cumque ad levandum ſaxum tres fratres veniſſent*.

(α) In Fl. ſemel tantum Βενέδικτε, & infra iteratur κατηραμένε.

(β) Forte βίαιος legendum monent Guſſanv. & Sam. at βίος conſtanter habent MSS.

(γ) Reg. οἰκοδομεῖν ἔνθα ἡσυχάζειν ἐχρῆν.

(δ) Fl. συναχθέντες.

(ε) Reg. ἀνύσαντες. Colb. ὀνήσαντες.

terra teneretur, ut palam daretur intelligi, quod ſuper eum ipſe per ſe antiquus hoſtis ſederet, quem tantorum virorum manus movere non poſſent. Difficultate igitur facta, ad virum Dei miſſum eſt, ut veniret, (*a*) orando hoſtem repelleret, ut lapidem levare poſſent. Qui mox venit, (*b*) orationem faciens, benedictionem dedit, & tanta lapis celeritate levatus eſt, ac ſi nullum prius pondus habuiſſet.

μέσον ἐν τῇ γῇ αὐτὸν εἶναι. τοῦτο δ' ἅπασι φανερὸν γέγονε, ὅτι ἐπάνω αὐτοῦ αὐτὸς ὁ διάβολος ἐκαθέζετο, ὃν τοσούτων ἀνδρῶν χεῖρες κινῆσαι οὐκ ἴσχυον. ἐν ἀπορίᾳ δὲ γινόμενοι οἱ ἀδελφοὶ πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον ἀπέστειλαν, (α) ἐπὶ τὸ αὐτὸν σκυλέντα ἀποδιῶξαι τὸν ἐχθρὸν διὰ τῆς ἑαυτοῦ πρὸς Θεὸν πρεσβείας, ὅπως τὸν λίθον ἆραι δυνηθῶσι. ὅστις εὐθέως παραγεγονὼς, καὶ εὐχὴν ποιήσας, ἐπέστρεψε τοῖς μαθηταῖς ἆραι τὸν λίθον. τοσαύτῃ δὲ εὐκόλῳ σπουδῇ ὁ λίθος ἤρθη, ὥστε νομίζειν αὐτοὺς μηδὲν βάρος αὐτὸν ἐσχηκέναι τὸν πρότερον ἀκίνητον ὄντα.

De | Πε-

(*a*) Subl. A. *Et orando*.
(*b*) Alii, *& orationem*.

(α) Fl. ὥστε αὐτὸν σκύλευσαι.

(*a*) *De phantaſtico coquinæ incendio.*

C A P. X.

TUnc in conſpectu viri Dei placuit, ut in loco eodem terram foderent, quam dum fodiendo altius penetrarent, æreum illic Idolum Fratres invenerunt: (*b*) quo ad horam caſu in coquina projecto exire ignis repente viſus eſt, atque in cunctorum Monachorum oculis, quia omne ejuſdem coquinæ ædificium conſumeretur, oſtendit. (*c*) Cumque jaciendo aquam & ignem quaſi extinguendo perſtreperent, pulſatus eodem tumultu vir Do-

(α) Περὶ τοῦ εὑρεθέντος χαλκοῦ ζωδίου, ὅθεν ἐξῆλθεν ἐν φαντασίᾳ τὸ πῦρ.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Ι΄.

(*c*) Vox *nuper* quam nonnunquam de longiori tempore dictam probat Mabil. ut arguat deſtructionem Cœnobii Caſinenſis, quæ Gregorio ſcribenti Dialogos *nupera* dicitur, decem ſaltem annis eam ſcriptionem præcedere potuiſſe, ea inquam vox in Græca Interpr. minime exprimitur.

(α) Reg. τῶν ἐν Χριστῷ ἀδελφῶν μου τῶν.

(β) Fl. τῶν ἐν τοῖς μοναστηρίοις οἰκούντων.

(γ) In Fl. deeſt τῶν μελλόντων.

(δ) Fl. & Reg. ἔθνους, pro qua lectione irrepſit alia mendoſe in Cod. Guſs. ſcilicet ἔθνει. Fl. Λογγιβάρδων, ut infra Λογγίβαρδοι.

(ε) Fl. καταλυθέντα τὰ μοναστήρια αὐτοῦ.

(ζ) Fl. ἐν τοῖς μοναστηρίοις.

(η) Fl. πάντα τὰ ἐν ταῖς μοναῖς.

vitam omnium, qui eum comitabantur, accepit.

(a) *De Flaſcone ſublato & per ſpiritum cognito.*

C A P. XVIII.

GREGORIUS. Quodam quoque tempore Exhilaratus noſter, quem ipſe converſum noſti, tranſmiſſus a Domino ſuo fuerat, ut Dei viro in Monaſterio vino plena duo lignea

γνησίῳ θεράποντι Βενεδίκτῳ ὑπέσχετο, ἐπλήρωσεν. εἰ γὰρ καὶ τὰ ὑπάρχοντα (α) τῆς μονῆς (β) ἐκ συγχωρήσεως Θεοῦ διήρπασαν· ἀλλ' οὖν ὅμως ἡ τῶν ψυχῶν περιποίησις ὑπὸ κυρίου ἐδωρήθη αὐτῷ· οὕτως ἔγνωμεν καὶ τὸν μακάριον Παῦλον τὸν Ἀποστολον ὑπὲρ τοῦ πλήθους τῶν συμπλωτήρων αὐτοῦ ἐκδυσωπήσαντα τὸν Θεὸν ἐν τῇ κατὰ τὸν πλοῦν ζαλώδει ἀνάγκη, καὶ τῆς δεήσεως μὴ (γ) ἀποτυγχάνοντα. εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα τοῦ ἐν τῷ πλοίῳ ὄντος φόρτου ἡ ἀποβολὴ γέγονεν, ἀλλ' οὖν γε ἡ τῶν ψυχῶν ἐπικερδὴς σωτηρία παρὰ Χριστοῦ ἐχαρίσθη αὐτῷ.

Περὶ τοῦ ἀποκρύψαντος τὸ φλασκὶν ἐν τῇ ὁδῷ, καὶ ἐκ προοράσεως τοῦ ἁγίου ἐλεγχθέντος.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΙΗ΄.

ΕΝ ἑτέρῳ τοίνυν καιρῷ (δ) Ἐξιλαρᾶτος ὁ ἡμέτερος, ὃν αὐτὸς (ε) ἐπιστρέψαντα γινώσκεις, ἀπεστάλη ὑπὸ τοῦ κυρίου αὐτοῦ πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον, ἐπιφερόμενος οἴνου γέμοντα δύο ξύλινα σκεύη, ἅπερ τῇ κοινῇ διαλέκτῳ (ζ) φλασκία καλοῦνται. ὅστις τὸ-

(a) Alii, *De abſconſione Flaſconis a beato Benedicto cogniti.* Alii, *De Flaſcone abſcondito, & a viro Dei per ſpiritum cognito.* In Gr. *De eo qui flaſconem in itinere abſcondit, & ex viri Dei præſcientia redargutus fuit.*

(α) Fl. τῶν μοναχῶν.

(β) Fl ἐκ παραχωρήσεως.

(γ) Fl. ἀποτυχόντα.

(δ) Fl. ἐξιλαρόντος hic, & infra.

(ε) In Fl. deeſt ἐπιστρέψαντα.

(ζ) Fl. φλασκεῖα. Reg. φλάσκι λέγονται.

gnea vaſcula, (*a*) quæ vulgo flaſcones vocantur, deferret: qui unum detulit, alterum vero pergens in itinere abſcondit. Vir autem Domini, quem facta abſentia latere non poterant, unum cum gratiarum actione ſuſcepit, & diſcedentem puerum monuit, dicens. Vide fili de illo flaſcone quem abſcondiſti jam non bibas, ſed inclina illum caute, & invenies, quid intus habet. Qui confuſus valde a Dei homine exivit: & reverſus, (*b*) volens adhuc probare, quod audierat, cum flaſconem inclinaſſet, de eo protinus ſerpens egreſſus eſt. Tunc prædictus Exhilaratus puer, per hoc quod in vino reppërit, (*c*) expavit malum, quod fecit.

De

τὸ μὲν ἓν ἀπήγαγεν πρὸς τὸν ἅγιον, τὸ δὲ ἕτερον κατὰ τὴν ὁδὸν ἔκρυψεν. ὁ δὲ διορατικὸς ἐκεῖνος (α) ἀνὴρ, ὃν οὐδὲν τῶν ἐκείνου πρακτέων (β) οὐκ ἔλαθεν, τὸ μὲν ἓν φλασκίον μετ' εὐχαριστίας ἐδέξατο· ἀπολύσας δὲ αὐτὸν παρήγγειλεν, αὐτῷ λέγων· βλέπε, τέκνον, ἐξ ἐκείνου τοῦ φλασκίου, (γ) ὅπερ κατὰ τὴν ὁδὸν ἔκρυψας, μήκετι πίῃς λοιπὸν ἐξ αὐτοῦ. ἀλλὰ κένωσον αὐτὸ τετηρημένως, καὶ εὑρήσεις ὅπερ ἔνδον ἔχει. ὁ δὲ σφόδρα καταισχυνθεὶς ἐνώπιον τοῦ ὁσίου βαλὼν μετάνοιαν, ὑπέστρεψεν. ἐλθὼν δὲ ἐν ᾧ τόπῳ ἦν τὸ αὐτὸ ἀποκρύψας φλασκίον θέλων δοκιμάσαι, εἰ ἀληθῆ εἰσι τὰ παρὰ τοῦ ἁγίου ῥηθέντα πρὸς αὐτὸν, ἔκλινε τὸ σκεῦος, ἵνα κενώσῃ αὐτό· καὶ ἰδοὺ παραυτὰ ὄφις ἐξῆλθε, σὺν τῷ κενωθέντι οἴνῳ. (δ) θεασάμενος οὖν ὁ προλεχθεὶς Ἐξιλαρᾶτος τὸ σφάλμα ὃ πεποίηκεν, καὶ ἔμφοβος γεγονὼς, κατανυγεὶς μετενόησεν.

Πε-

(*a*) Alii, *quæ a vulgo*.
(*b*) Alii, *volens probare quod*. Alius, *volens hoc probare*.
(*c*) In Gr. *compunctus pænitentiam egit*.

(α) Fl. πατήρ.
(β) In Fl. & Reg. deeſt negatio.
(γ) Fl. οὗπερ.
(δ) Fl. γενόμενος.

(*a*) *De mappulis a ſervo Dei acceptis.*

C A P. XIX.

NOn longe autem a Monaſterio (*b*) vicus erat, in quo magna multitudo hominum, ad fidem Dei ab Idolorum cultu Benedicti fuerat exhortatione converſa. (*c*) Ibi quoque quædam ſanctimoniales fœminæ inerant, & crebro illuc pro exhortandis animabus Fratres ſuos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam vero die miſit ex more: ſed is, qui miſſus fuerat Monachus poſt ammonitionem fa-

Περὶ τοῦ λαβόντος παρὰ μοναστρίας ἐγχείρια, καὶ ὑπὸ τοῦ ἁγίου ἐλεγχθέντος.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΙΘʹ.

ΕΜπόριον ἦν οὐ μακρὰν τῆς τοῦ ἁγίου μονῆς, ἐν ᾧ πολὺ πλῆθος ἀνδρῶν (α) εἰδωλομανῶν ὑπῆρχεν. οὗτοι οὖν ὑπὸ τῆς τοῦ μακαρίου ψυχωφελοῦς διδασκαλίας φωτισθέντες, ἐπὶ τὴν τοῦ Θεοῦ σωτήριον πίστιν (β) ὑπέστρεψαν. ἐν αὐτῷ τοίνυν τῷ ἐμπορίῳ ἀσκητήριον ἐτύγχανεν εὐλαβῶν τε καὶ σεμνῶν παρθένων, ὧν διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν ἁγιωσύνην τοὺς οἰκείους μαθητὰς πρὸς οἰκοδομὴν καὶ νουθεσίαν αὐτῶν εἰώθει ἀποστέλλειν. ἐν μιᾷ οὖν τῶν ἡμερῶν κατὰ τὸ σύνηθες ἀπέστειλεν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπός τινα μοναχὸν εἰς τὸ τῶν παρθένων ἀσκητήριον πρὸς ψυχικὴν

(*a*) Alii, *De mappularum receptione a viro Dei cognita.* In Gr. *De eo qui mappulas a ſanctimoniali recepit, & a Sancto reprehenſus fuit.*

(*b*) Zacharias vertit *emporium* ideſt forum nundinarium. *Multa ſcire potuit* (ait Angelus de Nuce) *ad ea tempora proximior Zacharias, quæ nobis tot ſæculorum ſpatia obumbrarunt.*

(*c*) In Gr. *In ipſo igitur Emporio erat Aſceterium religioſarum, & venerandarum Virginum, ob quarum excellentem ſanctimoniam ſuos diſcipulos, ad illarum ædificationem, & inſtitutionem mittere ſolebat. Una itaque die ſecundum conſuetudinem vir Dei Monachum quemdam ad Virginum Aſceterium miſit.* Hæc verba multum conferunt opinioni eorum, qui cenſent has Moniales non in propriis ædibus, ut nonnulli autumant, ſed in Monaſterio vixiſſe, choro aliiſque cœnobiticis functionibus adſtrictas.

(α) Reg. εἰδωλολατρῶν.

(β) Fl. ἐπέστρεψαν.

factam, (*a*) a ſanctimonialibus fœminis rogatus, mappulas accepit, ſibique eas in ſinu abſcondit, qui mox ut reverſus eſt, eum vir Dei vehementiſſima amaritudine cœpit increpare, dicens: Quomodo ingreſſa eſt iniquitas in ſinum tuum? at ille obſtupuit, & quid egiſſet oblitus, unde corripiebatur, ignorabat. Cui ait: numquid ego illic præſens non eram, quando (*b*) ab ancillis Dei mappulas accepiſti, tibique eas in ſinu miſiſti? qui mox ejus veſtigiis provolutus, ſtulte ſe egiſſe pœnituit, & eas quas in ſinu abſconderat, mappulas projecit.

De

κὴν αὐτῶν ὠφέλειαν. ἐκεῖνος δὲ ὁ ἀποσταλεὶς μοναχὸς μετὰ τὴν τοσαύτην παραίνεσιν τὴν παρὰ τοῦ τιμίου πατρὸς γενομένην, παρακληθεὶς ὑπὸ τῶν (α) ἀεὶ παρθένων ἐγχείρια ἔλαβε, καὶ ἐν τῷ ἑαυτοῦ κόλπῳ ταῦτα κατέκρυψεν. ἐν δὲ τῷ παραγίνεσθαι αὐτὸν πρὸς τὸν πατέρα διελέγξας αὐτὸν περὶ τούτου, αὐστηρῶς ἔφη πρὸς αὐτόν· ἀδελφέ, πῶς ἡ ἀνομία εἰσῆλθεν ἐν τῷ κόλπῳ σου; ἐκεῖνος δὲ ἐκπλαγεὶς ὑπὸ τοῦ φόβου, καὶ τῇ ἀπροσεξίᾳ ἐπιλαθόμενος (β) τοῦ οἰκείου σφάλματος, περὶ οὗ ὑπὸ τοῦ ἰδίου πατρὸς διελέγχετο, ἠγνόει τί πρὸς αὐτὸν ὁ πατὴρ ἔλεγε. πρὸς ὃν ὁ ἅγιος ἔφη· μήτοι γε ἐγὼ οὐκ ἤμην αὐτόθι παρών, ὅτε παρὰ τῶν ἱερῶν παρθένων ἐδέξω τὰ ἐγχείρια, καὶ ἐν τῷ κόλπῳ σου (γ) ταῦτα κατέκρυψας; ὁ δὲ ταῦτα ἀκούσας τοῖς ἴχνεσι τοῦ ἁγίου προσκυλινδούμενος ἑαυτὸν ἡμαρτηκέναι ἔλεγεν. ἅπερ δὲ ἦν λαβὼν παρὰ τῶν παρθένων ἐγχείρια, ταῦτα ἐξ ἑαυτοῦ κόλπου ἐκβαλών, ἐνώπιον τοῦ ἁγίου ῥίψας, γνησίως (δ) περὶ τοῦ πταίσματος τούτου μεταμελήθη.

K Πε-

(*a*) In Gr. *a perpetuam virginitatem ſectantibus.*
(*b*) In Gr. *a ſacris virginibus.*
(α) In Fl. deeſt ἀεὶ.

(β) Reg. τοῦ ἰδίου.
(γ) In Fl. deeſt ταῦτα.
(δ) Fl. ὑπὲρ.

(*a*) *De ſuperba cogitatione pueri per ſpiritum cognita.*

C A P. XX.

QUadam quoque die dum venerabilis Pater, veſpertina jam hora, corporis alimenta perciperet, ejus Monachus cujuſdam Defenſoris filius fuerat, qui ei ante menſam lucernam tenebat. Cumque vir Dei ederet, ipſe autem cum lucernæ miniſterio adſtaret, (*b*) cœpit per ſuperbiæ ſpiritum in mente ſua tacitus volvere, & per cogitationem dicere. Quis eſt hic, cui ego manducanti aſſiſto, lucernam teneo, ſervitium impendo? quis ſum ego, ut iſti ſerviam? ad quem vir Dei ſtatim converſus, vehementer eum cœpit increpare, dicens: Signa cor tuum, Frater, quid eſt, quod loqueris? ſigna cor tuum

Περὶ τοῦ μοναχοῦ τοῦ κατὰ διάνοιαν ἐξουθενοῦντος τὸν ἅγιον.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Κʹ.

ΕΝ μιᾷ τῶν ἡμερῶν κατὰ τὴν ὥραν, ἐν ᾗ τὸν ἅγιον τὸ συνήθως ἐχρῆν μεταλαβεῖν τροφῆς, ἑσπέρας λοιπὸν βαθείας οὔσης, συνέβη τινὰ μοναχὸν υἱὸν γεγονότα (α) Δεφενσόρος τινος, ἐνώπιον τοῦ ἁγίου τραπέζης τὸν λύχνον κατέχειν. ἐσθίοντος δὲ τοῦ ἁγίου ὁ δαίμων τῆς ὑπερηφανείας ἤρξατο (β) αὐτὸν ἐνοχλεῖν, καὶ ἐπάρσεως λογισμοὺς αὐτῷ ἐπαφιεῖν. καὶ ἀλαζονευόμενος ἐν ἑαυτῷ ἔλεγε· τίς ἐστιν οὗτος ᾧ ἐγὼ παρεστάμενος ὑπηρετῶ, καὶ λύχνον ἐπὶ χεῖρας βαστάζων δουλεύω; καὶ ἵνα τί τούτῳ ἐγὼ ὡς δοῦλος καθυπουργῶ; ταῦτα δὲ αὐτοῦ κατὰ διάνοιαν διαλογιζομένου, ὁ τῷ (γ) προβατικῷ κατηγλαϊσμένος χαρίσματι πατὴρ Βενέδικτος διελέγξας αὐτὸν σπλάγχνοις πατρικοῖς εἶπε· σφράγισον τὴν καρδίαν σου, ἀδελφέ. ἵνα τί ἀλαζονείας λογισμοὶ ἐν σοὶ ἀναφύονται; πρόσεχε σεαυτῷ. καλέσας οὖν τοὺς ἀδελφοὺς, ἐκέλευσε παραυτὰ τὸν λύχνον ἐκ τῶν χειρῶν

(*a*) Alii, *De cogitatione ſuperba a Dei viro cognita*. In Græc. *De Monacho qui in corde Sanctum contempſit.*

(*b*) Alius, *cæpit puer ſuperbiæ Spiritu agitari.*

(α) Fl. διαφένσωρος.

(β) Fl. αὐτῷ.

(γ) Reg. προγνωστικῷ.

tuum vocatiſque ſtatim Fratribus, præcepit ei lucernam de manibus tolli, ipſum vero juſſit a miniſterio recedere, & ſibi hora eadem quietum ſedere. Qui requiſitus a Fratribus, quid habuerit in corde, per ordinem narravit quanto ſuperbiæ ſpiritu intumuerat, & quæ contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquido omnibus patuit, quod venerabilem Benedictum latere nihil poſſit, in cujus aure (α) etiam cogitationis verba ſonuiſſent.

De

ρῶν αὐτοῦ ἀρθῆναι. ὁ δὲ ἐξελθὼν ἔξω ἐκάθητο (α) σὺν δάκρυσιν. ὅσις παρὰ τῶν ἀδελφῶν ἐρωτώμενος, τί ἂν εἴη πεπραχὼς, καὶ τίς ἡ παρὰ τοῦ ἁγίου πρὸς αὐτὸν ἀγανάκτησις, ἀπεγύμνωσεν αὐτοῖς τὴν ἑαυτοῦ κατὰ διάνοιαν διαβολικὴν πλάνην, καὶ πῶς τῷ τῆς ὑπερηφανείας ἐφυσιώθη πνεύματι, καὶ (β) ὁποῖα ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ ῥήματα ἐν τῇ ἑαυτοῦ καρδίᾳ μελετῶν ἐκορυφοῦτο. ὅθεν λοιπὸν πᾶσι (γ) φανερὸν γέγονεν ὁ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ κεκρυμμένος ἰὸς, καὶ τὴν τοῦ ἁγίου πατρὸς προδιορατικὴν ἐθαύμαζον καθαρότητα· ὅτι τὰ ἐν τῇ διανοίᾳ ὑπὸ τοῦ κοινοῦ ἐχθροῦ φυόμενα, τοῦτον λαθεῖν οὐ δύνανται.

K 2 Πε-

(α) Hæſt. & Editi paſſim legunt *tacitæ cogitationis*. At nullibi in Caſinenſibus Codicibus ita legi teſtatur Angelus de Nuce.

(α) Fl. & Reg. συνδάκρυς.
(β) Fl. & Reg. καὶ ὁποῖα κατὰ τοῦ ἀνθρώπου.
(γ) Reg. φανερῶς.

De ducentis modiis farinæ famis tempore ante cellam inventis.

C A P. XXI.

ALio igitur tempore in eadem Campaniæ regione fames incubuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coanguſtabat: jamque in Benedicti Monaſterio triticum deerat: panes vero pœne omnes conſumpti fuerant, ut non plus quam quinque ad refectionis horam, Fratribus inveniri potuiſſent. Cumque eos venerabilis Pater contriſtatos cerneret, eorum puſillanimitatem ſtuduit modeſta increpatione corrigere, & rurſum (a) promiſſione ſublevare dicens. Quare de panis inopia veſter animus contriſtatur? hodie quidem minus eſt, ſed die craſtina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti fa-

Περὶ τοῦ εὑρεθέντος ἀλεύρου ἐν καιρῷ λιμοῦ ἔμπροσθεν τῆς τοῦ ἁγίου κέλλης.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΚΑ΄.

ΕΝ ἄλλῳ τοίνυν καιρῷ ἐν τοῖς τῆς Καμπανίας μέρεσι λιμὸς γέγονε καὶ τῶν ἀναγκαίων βρωμάτων πάντων στένωσις. σπάνη οὖν σίτου καὶ (α) τῷ τοῦ ἁγίου φροντιστηρίῳ ὑπῆρχε καὶ λεῖψις τῶν ἄρτων· ὥστε μὴ πλείους πέντε ἄρτων εὑρεθῆναι ἐν τῇ ὥρᾳ τῆς τῶν ἀδελφῶν ἑστιάσεως. ἰδὼν δὲ αὐτοὺς ὁ τίμιος πατὴρ σκυθρωπάσαντας, τὴν ὀλιγοψυχίαν αὐτῶν τῇ ἑαυτοῦ πρᾳοτάτῃ διορθώσει, καὶ ἀληθεῖ ὑποσχέσει διαναστήσας, ἔλεγεν· ἵνα τί περίλυποί ἐστε ἕνεκεν τῆς τῶν ἄρτων λείψεως; σήμερον (β) μὲν οὖν λεῖψιν ἔχετε, αὔριον δὲ πλησμονὴν τῶν ἀναγκαίων ἀφθόνως ἕξετε. καὶ τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ τῇ τοῦ Θεοῦ οἰκονομίᾳ ἀλεύρου μοδίους διακοσίους ἔμπροσθεν τῆς πύλης τοῦ μοναστηρίου ἐν (γ) σακκίοις εὗρεν· ἅπερ ὁ πρύτανις πάντων Θεὸς τίσιν ἐπιφερομένοις (δ) ἐνεφοίτησεν καὶ τὴν τούτων ἀπόθεσιν ἐνώπιον τῆς τοῦ μοναστηρίου πύλης ἐποίησεν, οἵτινες τὸ παράπαν ἄγνωστοι τοῖς ἀδελφοῖς ὑπῆρχον.

(a) Additur in nonnullis, *blanda.*

(α) Fl. ἐν τῷ.

(β) In Fl. deeſt μὲν.

(γ) Fl. σάκκοις.

(δ) Fl. ἐνεφοίτησεν τὴν τούτων . . . ποιήσασθαι.

ſarinæ modii ante (*a*) fores cellæ in ſacciis inventi ſunt, quos omnipotens Deus, quibus deſerentibus tranſmiſiſſet, nunc uſque manet incognitum. Quod cum Fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt jam de abundantia nec in egeſtate dubitare.

PETRUS. Dic quæſo te, numquid nam credendum eſt huic Dei famulo ſemper prophetiæ ſpiritum adeſſe potuiſſe, an per intervalla temporum ejus mentem prophetiæ ſpiritus implebat?

GREGORIUS. Prophetiæ ſpiritus, Petre, prophetarum mentes non ſemper irradiat: quia ſicut de ſancto Spiritu ſcriptum eſt: ubi vult ſpirat: ita ſciendum eſt, quia, & quando vult aſpirat. Hinc eſt enim, quod Nathan a Rege requiſitus, ſi conſtruere Templum potuiſſet, prius (*b*) conſenſit, & poſtmodum prohibuit. Hinc eſt, quod He-

χον. (α) ἀγαλλιαθέντες οὖν ἐπὶ τῇ παραδόξῳ τοῦ ἁγίου θαυματοποιΐᾳ, τῷ Θεῷ δόξαν ἀνέπεμψαν. μαθόντες λοιπὸν μὴ δυσφορεῖν ἐν λιμῷ, εἴποτε τύχοι τοῦτον συμβῆναι, ἐνέχειρον ἔχοντες τὴν τοῦ ἁγίου πρὸς Θεὸν παρρησίαν.

ΠΕΤΡ. Εἰπὲ, δυσωπῶ, τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας διαπαντὸς ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ ἦν, ἢ ἐν διαφόροις καιροῖς ἐν αὐτῷ ἐνήργει.

ΓΡΗΓ. Τῆς προφητείας τὸ πνεῦμα, Πέτρε, τῶν προφητῶν τὸν νοῦν οὐ πάντοτε εἴωθε λαμπρύνειν. καθάπερ (β) γὰρ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος γέγραπται, ὅτι ὅπου θέλει πνεῖ. οὕτως γνωστόν ἐστιν, ὅτι καὶ ὅτε θέλει πνεῖ. τοῦτο γάρ ἐστιν ὅπερ ὁ προφήτης Ναθὰν παρὰ τοῦ βασιλέως Δαυὶδ αἰτηθεὶς, εἰ τῷ Θεῷ φίλον ὑπάρχει οἰκοδομῆσαι αὐτὸν τὸν ναὸν κυρίου, πρῶτον μὲν συνεβούλησε, μετέπειτα δὲ ἐκώλυσε. τοῦτό ἐστιν ὅπερ Ἐλισαῖος ὁ προφήτης κλαίουσαν τὴν γυναῖκα ἐθεάσατο, τὸ

(*a*) Alius, *fores Eccleſiæ cellæ*.
(*b*) Alius, *conceſſit*.

(α) Fl. ἀγαθύνοντες.
(β) In Fl. deeſt γάρ.

Digitized by Google

Heliſæus cum flentem mulierem cerneret, cauſamque neſciret, ad prohibentem hanc puerum dixit: dimitte eam, quia anima ejus in amaritudine eſt, & Dominus celavit a me, & non indicavit mihi. Quod omnipotens Deus ex magnæ pietatis diſpenſatione diſponit: quia dum prophetiæ ſpiritum aliquando dat, aliquando ſubtrahit, prophetantium mentes, & elevat in celſitudine, & cuſtodit in humilitate, ut accipientes ſpiritum inveniant, quid de Deo ſint, & rurſum prophetæ ſpiritum non habentes cognoſcant, quid ſint de ſemetipſis.

PETRUS. Ita hoc eſſe, ut aſſeris, magna ratio clamat. Sed quæſo de venerabili Patre Benedicto, quicquid adhuc animo occurrit, exequere.

De

τὸ δὲ πρᾶγμα ἠγνόει. πρὸς δὲ τὸν κωλύοντα αὐτὴν παῖδα ἔλεγεν· ἄφες αὐτήν, ὅτι ἡ ψυχὴ αὐτῆς κατώδυνός ἐστιν, καὶ κύριος ἀπέκρυψεν ἀπ' ἐμοῦ, καὶ οὐκ ἐφανέρωσέ μοι. (α) ὅπερ ὁ πρύτανις πάντων Θεὸς ἐκ μεγίστης εὐσπλαγχνίας οἰκονομικῶς κατασκευάζει. τῆς γὰρ προφητείας τὸ πνεῦμα ποτὲ μὲν παρέχων, ποτὲ δὲ (β) σοφῶς ἀφαιρούμενος, τῶν προφητευόντων τὸν νοῦν διεγείρει μὲν ἐν τῷ ὕψει, διατηρεῖ δὲ πάλιν ἐν τῇ ταπεινώσει, ἵνα καὶ δεχόμενοι τὸ πνεῦμα ἐπιγνώσκωσι τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτοῖς ἐμπνεύσιν, καὶ πάλιν (γ) ὡσαύτως ἀφαιρούμενοι, οἰκονομικῶς μάθωσιν ἀφ' ἑαυτῶν τί ἐστιν.

ΠΕΤΡ. Οὕτως εἶναι καθομολογῶ, καὶ μεγάλως πεπληροφόρημαι. λιπαρῶ δὲ ἵνα τὸ ἔλλιπον τῆς διηγήσεως τῶν κατορθωμάτων τοῦ σεβασμίου πατρὸς Βενεδίκτου ἀναπληρώσῃς. καὶ εἴτι δ' αὖ ὑπαντᾷ τῇ σῇ ἡγιασμένῃ ψυχῇ, διέξελθέ μοι.

Πε-

(α) In Fl. deeſt ὁ πρύτανις πάντων Θεός.

(β) Fl. σαφῶς.

(γ) In Fl. deeſt ὡσαύτως.

(a) De fabrica monaſterii Terracinenſis per viſionem diſpoſita.

C A P. XXII.

GREGORIUS. Alio quoque tempore a quodam fideli viro fuerat rogatus, ut in ejus (*b*) patrimonii prædio juxta Terracinenſem Urbem miſſis diſcipulis ſuis conſtruere Monaſterium debuiſſet: qui roganti conſentiens deputatis Fratribus Patrem conſtituit, & (*c*) quis (*d*) ei ſecundus eſſet, ordinavit. Quibus euntibus (*e*) ſpopondit, dicens: Ite & die illo ego venio, & oſtendo vobis in quo loco Oratorium, in quo refectorium Fratrum, in quo ſuſceptionem hoſpitum, vel quæque ſunt neceſſaria ædificare debeatis. Qui bene-

Περὶ τοῦ κατ' ὄναρ χρηματισμοῦ ἕνεκεν τῆς οἰκοδομῆς τῆς ἐν Τερρακίνῃ μονῆς.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΚΒʹ.

ΓΡΗΓ. Ἐν ἑτέρῳ καιρῷ ὁ τὸν νοῦν πεφωτισμένος πατὴρ Βενέδικτος παρεκλήθη ὑπό τινος πιστοῦ καὶ εὐλαβεστάτου ἀνδρὸς, ὅπως διὰ τῆς αὐτοῦ ἐπισκοπῆς καὶ συνδρομῆς ἐν τῷ ἑαυτοῦ χωρίῳ πλησίον διακειμένῳ τῆς Τερρακίνων πόλεως, ἵνα ἀποστείλας τινὰς τῶν ἑαυτοῦ μαθητῶν, οἰκοδομήσῃ αὐτόθι μοναστήριον. καὶ δὴ εἴξας τῇ αὐτοῦ παρακλήσει, καλέσας οὓς (α) ἔδοξεν αὐτῷ ἀποστεῖλαι, ὥρισεν αὐτοῖς, πατέρα καταστήσας δὲ καὶ οἰκονόμον, ἀπέλυσεν αὐτοὺς ἐν εἰρήνῃ, οἷς καὶ ὑπέσχετο διαβεβαιούμενος, καὶ λέγων· ἀπέλθετε, ἀδελφοὶ, καὶ τῇδε τῇ ἡμέρᾳ ἐγὼ παραγίνομαι πρὸς ὑμᾶς, καὶ ὑποδεικνύω ὑμῖν ἐν ποίῳ τόπῳ τὸ εὐκτήριον ὀφείλει οἰκοδομηθῆναι, καὶ ἐν ποίῳ τόπῳ τὸ ἀριστητήριον τῶν ἀδελφῶν, καὶ ἐν ποίῳ τόπῳ τὸ εἰς ὑποδοχὴν τῶν ξέ-

(*a*) Alii, *De diſpoſitione Monaſterii per viſionem habita.*

(*b*) Vox *patrimonii* quam deeſſe in Editione Hæſt. Laur. & aliorum monet Angelus de Nuce, deeſt etiam in utr. Subl.

(*c*) Græcus Int. per eum qui ab Abbate ſeu Patre ſecundus eſſet, Præpoſitus in Reg. vocatus, intellexit Oeconomum.

(*d*) Alii, *eis*.

(*e*) Alii, *reſpondit*.

(α) Fl. ἔδοξεν αὐτῷ ἀποστέλλειν, ἀπέστειλεν αὐτοὺς ἐν εἰρήνῃ, οἷς ὑπέσχετο διαβεβαιούμενος &c.

nedictione percepta illico perrexerunt, & conſtitutum diem magnopere præſtolantes, (*a*) paraverunt omnia, quæ his, qui cum tanto Patre venire potuiſſent, videbantur eſſe neceſſaria. Nocte eadem qua promiſſus illuceſcebat dies, eidem ſervo Dei, quem illic Patrem conſtituerat, atque ejus Præpoſito vir Domini in ſomnis apparuit, & loca ſingula, ubi quid (*b*) ædificare potuiſſent, ſubtiliter deſignavit. Cumque utrique a ſomno ſurgerent, ſibi invicem, quod viderant, retulerunt. Non tamen viſioni illi omnimodo fidem dantes, virum Dei ſicut ſe promiſerat, venire expectabant. Cumque vir Dei conſtituto die minime veniſſet, ad eum cum mœrore reverſi ſunt dicentes. Expectavimus, Pater, ut venires ſicut promiſeras, & nobis oſtenderes, ubi quid ædificare de-

ξενίων, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἅπερ ἡ χρεία ἀπαιτεῖ γενέσθαι. οἵτινες τὴν τοῦ ἁγίου διδαχὴν λαβόντες εὐθέως ἐπορεύθησαν, καὶ συναγαγόντες τὰ πρὸς τὴν τῆς οἰκοδομῆς χρείαν ἅπαντα, καὶ τὸν τόπον περικαθάραντες ἡτοίμασαν πάντα, ἵνα τοῦ τιμίου πατρὸς παραγενομένου κατὰ τὴν οἰκείαν ὑπόσχεσιν, τὴν τοῦ κτίσματος διάταξιν ποιήσηται. τῇ (α) δὲ νυκτὶ ἐκείνῃ ἐπιφωσκούσης τῆς ἡμέρας ἐν ᾗ τὴν ἑαυτοῦ παρουσίαν ὁ ἅγιος καθυπέσχετο, ὤφθη τῷ ἐκεῖσε παρ' αὐτοῦ προβληθέντι ἡγουμένῳ καὶ τῷ οἰκονόμῳ αὐτοῦ, ἐν ὁράματι ὑποδεικνύων αὐτοῖς τοὺς τῆς οἰκοδομῆς τόπους, καὶ σχεδὸν εἰπεῖν πάντα μετὰ ἀκριβείας ἃ ἐχρὴν γενέσθαι αὐτόθι, διετάξατο αὐτοῖς. (β) ἀναστάντες οὖν ὅ, τε ἀββᾶς τῆς μονῆς καὶ ὁ τούτου οἰκονόμος μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς μεγάλης θάτερος θατέρῳ τὴν ὑπὸ τοῦ ἁγίου φανεῖσαν αὐτοῖς ὀπτασίαν (γ) διηγήσατο. πιστωθέντες οὖν διὰ τῆς ὑπὸ τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ φανείσης αὐτοῖς ὀπτασίας, ὅ, τε προεστὼς τῆς μονῆς σὺν τῷ οἰκονόμῳ τὴν τοῦ χριστοφόρου ἀνδρὸς σωματικὴν ἐξεδέχοντο παρουσίαν. ὡς δὲ παρῆλθε λοιπὸν ἡ (δ) τῆς ὁρισθείσης προθεσμίας ἡμέρα, ἐν ᾗ ἔδει αὐτὸν πρὸς αὐτοὺς αἰσθητῶς παραγενέσθαι, καὶ τῆς προσδο-

(*a*) In Gr. *paraverunt omnia ad ædificium neceſſaria.*

(*b*) Alii, *ædificari.*

(α) In Fl. deeſt δέ.

(β) Reg. ἀναστὰς οὖν.

(γ) Fl. διηγήσαντο.

(δ) Fl. τῆς ὁρισθείσης ἡμέρας προθεσμία.

deberemus, & non veniſti. Quibus ipſe ait: Quare, Fratres, quare iſta dicitis? Numquid, ſicut promiſi, non veni? cui cum ipſi dicerent, quando veniſti? reſpondit. Numquid utriſque vobis dormientibus non apparui, & loca ſingula deſignavi? Ite & (*a*) ſicut per viſionem audiſtis, omne habitaculum Monaſterii ita conſtruite. Qui hæc audientes vehementer ammirati ad prædictum prædium ſunt reverſi, & cuncta habitacula, ſicut (*b*) ex revelatione didicerant, conſtruxerunt.

PETRUS. Doceri velim, quo fieri ordine potuit, ut longe iret reſponſum dormientibus diceret, quod ipſi per viſionem audirent, & recognoſcerent.

GRE-

δοκίας ἀποτυχόντες, ἐλυπήθησαν σφόδρα. παραγενόμενοι δὲ πρὸς αὐτὸν τὴν αἰτίαν ᾔτουν μαθεῖν, δι' ἣν πρὸς αὐτοὺς οὐ παραγέγονε, καὶ λυπούμενοι ἐνεκάλουν αὐτῷ, λέγοντες· πάτερ ὅσιε καθὼς ὑπέσχου, τὴν σὴν ἄφιξιν ἐξεδεχόμεθα· ἵνα ὑποδείξῃς ἡμῖν τὴν τῶν οἰκοδομημάτων τοποθεσίαν. πρὸς οὓς (α) ὁ τοῦ Θεοῦ φίλος ἀποκριθεὶς εἶπε· διατί, ἀδελφοί, διατί ταῦτα οὕτω λέγετε πρός με; οὐχὶ καθὼς ὑπεσχόμην παραγέγονα πρὸς ὑμᾶς; (β) ἐκείνων δὲ εἰπόντων, ὅτι φύσει, πάτερ, οὐ παραγέγονας πρὸς ἡμᾶς. αὐτὸς ἀπεκρίθη λέγων· μὴ οὐκ ὤφθην ὑμῖν ἀμφοτέροις καθεύδουσι; καὶ ὑπέδειξα πῶς ὀφείλει ἡ τοῦ μοναστηρίου κτισθῆναι τοποθεσία; ἀπέλθετε καὶ καθὼς διὰ τῆς ὀπτασίας ἐθεάσασθε, καὶ τῇ χειρὶ ὑμῖν ὑπέδειξα, οὕτως οἰκοδομήσατε. οἱ δὲ ταῦτα ἀκούσαντες, καὶ λίαν θαυμάσαντες, ἐν τῷ προλεχθέντι χωρίῳ ὑπέστρεψαν, καὶ πάντα τὰ τοῦ μοναστηρίου οἰκοδομήματα, καθὼς διὰ τῆς ὀπτασίας ἐτυπώθησαν, οὕτω καὶ ᾠκοδόμησαν.

ΠΕΤΡ. Διδαχθῆναι θέλω ποίᾳ τάξει γενέσθαι δύναται, ἵνα μήκοθεν ἀπίλθῃ ἀπόκρισις πρὸς καθεύδοντας ἄνδρας, ὅπερ οἱ ἅγιοι δι' ὀπτασίαν ἤκουσαν, καὶ ἐγνώρισαν.

L ΓΡΗΓ.

(*a*) Editi, *ſicut per viſionem vidiſtis*, quibus conſonat Gr. Int.
(*b*) Nonnulli, *ex relatione*.

(α) Reg. ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος.
(β) In Fl. deeſt ab *ἐκείνων* uſque ad *αὐτοῖς*.

GREGORIUS: Quid eſt, quod perſcrutans rei geſtæ ordinem ambigis, Petre? liquet profecto, quia (*a*) mobilioris naturæ eſt ſpiritus, quam corpus. Et certe Scriptura teſte novimus, quod Propheta ex Judæa ſublevatus, repente eſt cum prandio in Chaldæa depoſitus, quo videlicet prandio Prophetam refecit, ſeque repente in Judæa iterum invenit. Si igitur tam longe Habacuc potuit ſub momento corporaliter ire, & prandium deferre, quid mirum ſi Benedictus Pater obtinuit, quatenus iret per ſpiritum, & Fratrum quieſcentium ſpiritibus neceſſaria narraret? ut ſicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit, ita iſte ad inſtitutionem ſpiritualis vitæ ſpiritualiter pergeret.

PE-

ΓΡΗΓ. Ἵνα τί ἐρευνῶν διστάζεις, Πέτρε, περὶ τοῦ κατὰ τάξιν γεγονότος κεφαλαίου; ἢ ἀγνοεῖς, ὅτι ἡ τοῦ πνεύματος φύσις κινητική ἐστι ὑπὲρ τὸ σῶμα. ἀληθῶς τῆς γραφῆς μαρτυρησάσης ἀκηκόαμεν, ὅτι ὁ προφήτης Ἀμβακοὺμ ἐκ τῆς Ἰουδαίας ὑψωθεὶς ἄφνω εἰς τὴν τῶν Χαλδαίων γῆν, σὺν τῷ ἀρίστῳ ᾧ ἦν ἑαυτῷ ἑτοιμάσας, πρὸς τὸν προφήτην Δανιὴλ παραγέγονε, καὶ τοῦτον ἐμπλήσας ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ πάλιν αὐτὸν εὗρεν; εἰ οὖν ὁ προφήτης Ἀμβακοὺμ ἐκ τοσούτου μεγίστου διαστήματος ὑπὸ Θεοῦ μετάρσιος γεγονώς, καὶ ἐν μιᾷ καιροῦ ῥοπῇ σωματικῶς Δανιὴλ τῷ προφήτῃ ἄριστον παραγενόμενος (α) προσκεκόμικε, τί θαυμαστὸν εἰ ὁ πατὴρ Βενέδικτος διὰ προσευχῆς ἐν πνεύματι ἁγίῳ μετάρσιος γέγονε. καὶ τοῖς δυσὶν ἤγουν τῷ ἡγουμένῳ, καὶ τῷ αὐτοῦ οἰκονόμῳ ὤφθη, καὶ περὶ τῆς οἰκοδομῆς τῆς μονῆς διετάξατο; ὃν τρόπον δὲ ὁ προφήτης τὴν σωματικὴν τροφὴν ἐπιφερόμενος πρὸς Δανιὴλ τὸν προφήτην σωματικῶς παραγέγονε, τὸν αὐτὸν (β) δὴ τρόπον καὶ ὁ πατὴρ Βενέδικτος ἐν πνεύματι πρὸς τοὺς μαθητὰς παραγέγονε, βρῶσιν ἀθάνατον αὐτοῖς ἐπιφερόμενος, τουτέστιν τὴν τῆς μονῆς σύστασιν καὶ οἰκοδομήν.

ΠΕΤΡ.

(*a*) In Editionibus veteribus *nobilioris*. At non mutandam lectionem Codicum MSS. utpote rei de qua agitur accomodatiorem merito monet Angelus de Nuce. Eadem & Græcæ Inter. accomodatior. Queritur Sammarth. errorem retinuiſſe Bolland. contra MSS. Angl. Norm. &c. fidem.

(α) Fl. & Reg. ἐκόμισε.

(β) In Fl. deeſt δή.

PETRUS. Manus tuæ locutionis terſit a me, fateor, dubietatem mentis; ſed velim noſſe in communi locutione, qualis iſte vir fuerit.

(a) De Ancillis Dei quæ poſt mortem per oblationem ejus communionem receperunt.

C A P. XXIII.

GREGORIUS. Vix ipſa, Petre, communis ejus locutio a virtutis erat pondere vacua: quia cujus cor ſe ſe in alta ſuſpenderat, nequaquam verba de ore illius incaſſum cadebant. Si quid vero unquam non jam decernendo, ſed minando diceret, tantas vires ſermo illius habebat, ac ſi hoc non dubie, atque ſuſpenſe, ſed jam per ſententiam protuliſſet. (*b*) Non longe ab ejus Mo-

ΠΕΤΡ. Τῇ δεξιᾷ χειρὶ τῆς ψυχωφελοῦς καὶ σωτηριώδους διηγήσεως ἐκμαξάμενος τὴν ἐν τῇ διανοίᾳ μου οὖσαν δειλίαν, ἀκμάζουσαν τὴν τῆς ἐρωτήσεως προθυμίαν ἀπειργάσω. ἀλλ᾽ ἤθελον γνῶναι, ὁποῖος ὑπῆρχεν ὁ ἀνὴρ οὗτος ἐν τῇ κοινῇ συντυχίᾳ.

Περὶ τῶν χωρισθεισῶν παρ᾽ αὐτοῦ τῆς κοινωνίας μοναστριῶν.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΚΓ'.

ΓΡΗΓ. Σπανίως, Πέτρε, καὶ αὐτὴ ἡ συνήθης αὐτοῦ διάλεκτος ὑστέρει θείας δυνάμεως. ὑπὸ γὰρ τῶν σημείων ἐνεργείας ἢ τῆς μακαρίου φωνῆς βελτιουμένη, ἐνεργὴς ὑπῆρχεν (α) καὶ οὐ διάκενος. ὁ γὰρ τὴν ἑαυτοῦ καρδίαν ἐν τοῖς ὑψηλοῖς ἀνατείνας, οὐδαμῶς ἐκ τῶν προερχομένων ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ λόγων, κενόν τινα ἢ διαπίπτοντα εὑρίσκεσθαι. εἰ δὲ καὶ (β) συμβέβηκέ ποτε σὺν ἀπειλῇ φθέγγεσθαι αὐτὸν· λίαν δυνατὸς ἦν ὁ τούτου λόγος. διότι οὐ μετὰ δειλίας ἢ σκέψεως, ἀλλὰ δι᾽ ἀποφάσεως σοφῶς ἐπετίμα. ἐπεὶ οὖν οὐ μακρὰν τοῦ μοναστηρίου αὐτοῦ δύο τινὲς παρθέ-

(*a*) Alii *De Sanctimonialibus fæminis poſt mortem abſolutis*. Alii, *De Sanctimonialibus, quæ poſt mortem per ejus oblationem communioni ſunt redditæ*. In Gr. *De Sanctimonialibus a communione per eum ſegregatis.*

(*b*) Angelus de Nuce hinc exorditur caput XXIII.

(α) Fl. καὶ οὐ διάκενος.

(β) Fl. συμβέβηκεν αὐτῷ ποτε.

Monaſterio duæ quædam ſanctimoniales fœminæ nobiliori genere exortæ in loco proprio converſabantur, quibus quidam religioſus vir ad exterioris vitæ uſum præbebat obſequium. Sed ſicut nonnullis ſolet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, ut minus ſe in hoc mundo deſpiciant, qui plus ſe cæteris aliquid fuiſſe meminerunt: nec dum prædictæ ſanctimoniales fœminæ perfecte linguam ſub habitus ſui fræno reſtrincxerant, & eundem religioſum virum, qui ad exteriora neceſſaria eis obſequium præbebat, incautis ſæpe ſermonibus ad iracundiam provocabant. Qui cum diu iſta toleraret, perrexit ad Dei hominem, quantaſque pateretur verborum contumelias enarravit. Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinus mandavit dicens. Corrigite linguam veſtram, quia ſi non emendaveritis, excommunico vos:

θένοι ἀσκήτριαι διαμεσάτε γένους τυγχάνουσαι, ἐν τῷ ἑαυτῶν ἀνεστρέφοντο οἴκῳ· ἀνὴρ δέ τις σπουδαῖος καὶ εὐλαβὴς τὴν λειτουργίαν τῆς αὐτῶν χρείας τε καὶ οἰκονομίας συνήθως διηκόνει· ἀλλ᾽ ἡ τοῦ γένους εὐγένεια οὐ πᾶσι συμβαίνει πρόξενος γίνεσθαι τῆς τοῦ νοὸς νήψεως, ἵνα ἑαυτοὺς ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ βδελυξάμενοι, μηδὲν πλέον ἑαυτοὺς τῶν ἄλλων ἡγήσωνται εἶναι. τοῦτο δὲ εἰ ἔγνωσαν καὶ διὰ μελέτης ἐποιοῦντο, οὐκ ἂν αἱ προῤῥηθεῖσαι ἱεραὶ θήλειαι (α) τὴν ἑαυτῆς γλῶσσαν δίκην ξηρὰ (β) κατὰ τοῦ σπουδαιοτάτου ἐκείνου ἀνδρὸς τοῦ τὴν ὑπηρεσίαν προθύμως αὐταῖς τῶν ἀναγκαίων τοῦ σώματος χρειῶν προσπορίζοντος, εἰς ὕβρεις ἠκόνησαν καὶ εἰς θυμὸν τοῦτον ἐκίνησαν. ὁ δὲ εὐλαβὴς ἐκεῖνος ἀνὴρ μηκέτι λοιπὸν δυνάμενος ὑπενέγκαι τὴν ὑπερβάλλουσαν τῶν θηλειῶν εἰς αὐτὸν (γ) γινομένην ἀτιμίαν, πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον παρεγένετο, καὶ τὴν τῶν παρθένων ἐστηλίτευσεν ἀχάριστον γνώμην, καὶ πόσας ὕβρεις παρ᾽ αὐτῶν ἐδέξατο ἀνέθετο τῷ ἁγίῳ. ὁ δὲ σημειοφόρος πατὴρ Βενέδικτος ταῦτα ἀκούσας περὶ τῶν παρθένων, ἐδήλωσεν αὐταῖς, λέγων· διορθώσασθε ἑαυτὰς, καὶ τὴν γλῶσσαν ὑμῶν σωφρονήσατε. ἐπεὶ ἐὰν μὴ διορθώσησθε, ἀκοινωνήτους ὑμᾶς ποιῶ. ταύτην οὖν τῆς ἀκοινωνησίας ἀπόφασιν,

οὐχ

(α) Fl. & Reg. τὴν ἑαυτῶν.
(β) Reg. κατὰ τοῦ δικαιοτάτου.
(γ) Reg. γενομένην.

vos: quam videlicet excommunicationis ſententiam non proferendo intulit, ſed (*a*) intentando. Illæ autem a priſtinis moribus nil mutatæ, intra paucos dies defunctæ ſunt, atque in Eccleſia ſepultæ. Cumque in eadem Eccleſia Miſſarum ſolempnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret: Siquis non communicat, det locum, Nutrix earum, quæ pro eis oblationem Domino deſſerre conſueverat, eas de ſepulchris ſuis (*b*) egredi, & exire de Eccleſia videbat. Quod dum ſæpius cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis, exibant foras, atque intra Eccleſiam permanere non poterant, ad memoriam (*c*) rediit, quæ vir Dei illis adhuc viventibus mandavit. Eas quippe ſe communione privare dixerat, niſi mores ſuos,

οὐχ ὡς δεσμῷ αὐτὰς ἐν τῷ τοῦ ἐπιτιμίου χωρισμῷ ἀπέσειλεν· ἀλλὰ σοφῶς τε καὶ πατρικῶς τὴν ἐκείνων ἀχάριστον προαίρεσιν βελτιῶσαι βουλόμενος· ἐκεῖναι δὲ τῆς οἰκείας ἀφροσύνης οὐκ ἀπέστησαν, οὐδὲ λόγον ἐποιήσαντο τῆς τοῦ ἁγίου παραινέσεως. μετ᾽ ὀλίγας οὖν ἡμέρας αἱ προῤῥηθεῖσαι παρθένοι τέλει τοῦ βίου ἐχρήσαντο, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐτάφησαν. ἡνίκα δὲ ἐν τῇ αὐτῇ ἐκκλησίᾳ (α) τῆς θείας λειτουργίας αἱ συνάξεις ἐπετελοῦντο, καὶ κατὰ τὸ σύνηθες ὁ διάκονος ἔκραζεν· εἴ τις οὐ κοινωνεῖ, ἐξέλθῃ τῆς ἐκκλησίας ἔξω. ἡ τροφὸς τῶν ῥηθεισῶν παρθένων, ἥτις ὑπὲρ αὐτῶν συνήθως προσφορὰν τῷ κυρίῳ προσέφερε, τὰς αὐτὰς δύο παρθένους ἐκ τῶν μνημάτων αὐτῶν προερχομένας, καὶ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐξερχομένας ἐθεώρει. ὡς δὲ πολλάκις τοῦτο γινόμενον ἐθεάσατο, καὶ πρὸς τὴν τοῦ διακόνου ἐκφώνησιν ἐκείνας ἐξερχομένας ἐκ τῶν μνημάτων, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ μένειν μὴ δυναμένας, εἰς μνήμην ἐλθοῦσα ἡ ῥηθεῖσα τούτων τροφὸς, ὅτιπερ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἔτι ζώσαις αὐταῖς ἐδήλωσε, καὶ τὴν τῶν θείων μυστηρίων μεταλήψεως ταύτας στερῆσαι εἶπεν·

(*a*) Alii, *minando*, alii, *intendendo*, unus *ſed interpretando*, alius *intentando quod eſt comminando*.

(*b*) Alii Codices Caſinenſes & Vulgati *progredi*, itidem uterque Subl.

(*c*) Hæc lectio eſt omnium membranarum Caſinenſium, teſtante Angelo de Nuce, qui & ipſam autographam credit. Editi habent *reduxit*. Activa ſignificatione *redeo* quoque gaudet aliquando.

(α) In Fl. deeſt τῆς θείας λειτουργίας.

ſuos, & verba corrigerent. Tunc ſervo Dei cum gravi mœrore indicatum eſt. Qui manu ſua protinus oblationem dedit dicens. Ite, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & ulterius excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuiſſet immolata, & a Diacono juxta morem clamatum eſt, ut non communicantes ab Eccleſia exirent, illæ exire ab Eccleſia ulterius viſæ non ſunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos, qui communione privati ſunt, minime recederent, communionem a Domino per ſervum Domini recepiſſent.

PETRUS. Mirum valde,

εἶπεν· ἐὰν μὴ τὰ ἑαυτῶν ἤθη, καὶ τοὺς λόγους (α) διορθώσωνται, μετὰ σπουδῆς πρὸς τὸν Θεοῦ (β) δοῦλον Βενέδικτον παραγίνεται, καὶ σὺν ὀδυρμῷ πολλῷ πρὸς τοῖς ποσὶν αὐτοῦ κυλινδουμένη, τὴν οἰκτρὰν καὶ φρικτὴν μετ᾽ ἐκείνην θεωρίαν, ἥνπερ τοῖς ὀφθαλμοῖς τοῖς οἰκείοις ἐθεάσατο, ἀνήγγειλεν τῷ πατρί. ὁ δὲ ἅγιος ταῦτα ἀκούσας, καὶ ὑπὸ τῆς συνούσης αὐτῷ συμπαθείας κινηθεὶς, (γ) λαβὼν μίαν προσφορὰν ἔδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτῆς εἰπὼν πρὸς αὐτήν· ἄπελθε, καὶ ταύτην τὴν προσφορὰν ὑπὲρ αὐτῶν τῷ κυρίῳ προσενεχθῆναι ποίησον, καὶ τοῦ λοιποῦ οὐκ ἔσονται ἀκοινώνητοι. τῆς τοίνυν προσφορᾶς ὑπὲρ αὐτῶν προσενεχθείσης τῷ κυρίῳ, καὶ τοῦ διακόνου κατὰ τὸ σύνηθες κράζοντος, ἵνα οἱ μὴ μεταλαμβάνοντες ἐξέλθωσιν τῆς ἐκκλησίας, οὐκ ἔτι λοιπὸν ἐθεωρήθησαν ὑπὸ τῆς τούτων τροφοῦ ἐκβαίνουσαι τῆς ἐκκλησίας. ὅθεν πιστεύομεν ἐκτὸς πάσης ἀμφισβητήσεως, (δ) ὅτι ἡνίκα ἡ παρὰ τοῦ ἁγίου δοθεῖσα προσφορὰ ὑπὲρ αὐτῶν ἐθύθη, παραυτὰ τῆς συγχωρήσεως ἠξιώθησαν, καὶ τὴν τῆς ἁγίας κοινωνίας μετάληψιν παρὰ κυρίου διὰ τοῦ μακαρίου Βενεδίκτου ἐδέξαντο.

ΠΕΤΡ. Θαυμαστὸν σφόδρα ἐστὶν, εἰ

τὰ

(α) Reg. διορθώσωσιν.
(β) Fl. & Reg. φίλον.
(γ) Fl. λαβὼν μίαν προσφορὰν, ὑπὲρ αὐτῶν προσενεχθῆναι διεκελεύσατο, καὶ τῆς προσφορᾶς προσενεχθείσης τῷ κυρίῳ, καὶ τοῦ διακόνου &c. Ad oram paginæ charactere rubro in eodem MS. ſcriptum reperimus, ἀναγκαῖον εἰς τοὺς λατίνους διὰ τὰς προσφοράς.
(δ) In Fl. deeſt ὅτι.

de, quamvis venerabilem, & ſanctiſſimum virum, adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem, potuiſſe animas ſolvere in illo jam inviſibili judicio conſtitutas.

GREGORIUS. Numquid nam, Petre, in hac adhuc carne non erat, qui audiebat: Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quæcumque ſolveris ſuper terram, ſoluta erunt & in cælis? Cujus nunc vicem (a) ligando, & ſolvendo obtinent, qui locum ſancti regiminis fide, & moribus tenent. Sed ut tanta valeat homo de terra, Cœli & terræ conditor in terram venit e cœlo, atque ut judicare caro etiam de ſpiritalibus poſſit, hoc ei largiri dignatus eſt, factus pro hominibus Deus caro: quia inde ſurrexit ultra ſe infirmitas noſtra, unde ſub ſe infirmata eſt firmitas Dei.

PE-

τοῦτον τὸν σεβάσμιον καὶ ἁγιώτατον (α) ἄνδρα ἐν ταύτῃ τῇ ζωῇ ὄντα καὶ φθαρτῇ σαρκὶ (β) ἰσχύειν ψυχὰς λῦσαι ἐν αὐτῷ λοιπὸν τῷ ἀοράτῳ κριτηρίῳ τεταγμένας.

ΓΡΗΓ. (γ) Μήτι οὖν, Πέτρε, ἐν ταύτῃ τῇ σαρκὶ ἔτι οὐκ ἦν ὁ παρὰ Θεοῦ ἀκούσας· ὃ ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὃ ἂν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς; οὗτινος καὶ νῦν τὴν τάξιν ἐπικρατοῦσιν δεσμεύοντες καὶ λύοντες οἱ τὸν θρόνον τοῦ ἁγίου ἀποστόλου, καὶ ποιμένος τῇ πίστει καὶ τοῖς ἤθεσι κοσμοῦντες. ἵνα οὖν δόξης τοσαύτης γήινος ἄνθρωπος καταξιωθῇ, ὁ οὐρανοῦ καὶ γῆς ποιητὴς ἐξ οὐρανοῦ ἐπὶ τὴν γῆν κατῆλθε, καὶ ἵνα ἡ σὰρξ ἐκ τοῦ πνεύματος κρίναι δυνηθείη, ταῦτα αὐτῇ παρασχεῖν ἠξίωσε, Θεὸς ὢν, γέγονε διὰ τοὺς ἀνθρώπους σάρξ. ἦξε δ' (δ) αὐτοῦ ἡ ἀσθένεια ἡμῶν· ὅθεν ὑπ' αὐτῆς ἡ τοῦ Θεοῦ (ε) δυναστεία ἠσθένησεν.

ΠΕΤΡ.

(a) Alii *in ligando, & ſolvendo*, alii *ligandi, & ſolvendi*.

(α) Fl. & Reg. ἄνδρα ἔτι ἐν ταύτῃ τῇ φθαρτῇ σαρκὶ ὄντα.

(β) Fl. ἴσχυσε.

(γ) Fl. τί οὖν, Πέτρε, οὐκ ἦν ἐν τῇ σαρκὶ ταύτῃ ἔτι ὁ ἀκούσας.

(δ) In Fl. deeſt αὐτοῦ.

(ε) Fl. δύναμις.

PETRUS. Cum virtute ſignorum concorditer loquitur ratio verborum.

a) De puerulo monacho quem ſepultum terra projecit.

CAP. XXIV.

GREGORIUS. Quadam quoque die dum quidam ejus puerulus Monachus parentes ſuos ultra quam debebat diligens, (*b*) atque ad eorum habitaculum tendens, ſine benedictione de Monaſterio exiiſſet, eodem die, mox ut ad eos pervenit, defunctus eſt. Cumque eſſet ſepultus, die altero projectum foras corpus ejus inventum eſt, quod rurſus tradere ſepulturæ curaverunt: ſed ſequenti die iterum projectum exterius, atque inhumatum ſicut prius invenerunt. Tunc concite ad Benedicti Patris veſtigia cur-

ΠΕΤΡ. Μετὰ τῆς τῶν σημείων δυνάμεως καὶ ἡ τῶν ῥημάτων ἀπολογία προσφόρως ἐξεφωνήθη.

Περὶ μοναχοῦ τοῦ παρὰ γνώμην τοῦ ἁγίου εἰς τοὺς γονεῖς ἀπελθόντος κἀκεῖ τελειωθέντος.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΚΔ΄.

ΓΡΗΓ. Ἄλλοτε πάλιν μοναχός τις (α) νεανικῶς βιῶν τῆς μονῆς τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ ὑπάρχων, τοὺς ἑαυτοῦ κατὰ σάρκα γονεῖς ὑπὲρ μέτρον ἀγαπῶν, καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτῶν συνεχῶς ἄνευ τῆς τοῦ ἁγίου πατρὸς παραθέσεως ἀπερχόμενος. συνέβη ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ κατὰ τὸ συνῆθες αὐτῷ πρὸς τοὺς γονεῖς παραγενέσθαι· εἰσελθόντος δὲ αὐτοῦ ἐν τῇ οἰκίᾳ ἐτελεύτησεν. εἶτα κηδεύσαντες αὐτόν, καὶ ταφῇ παραδόντες τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ τὸ σῶμα αὐτοῦ ἔξω εὗρον ἐρριμμένον. καὶ τοῦτο πάλιν θάψαντες, αὖθις ὑπὸ τῆς γῆς ἐκβραθὲν ὡς τὸ πρότερον ἐθεάσαντο. ταῦτα οὖν ἑωρακότες οἱ αὐτοῦ κατὰ σάρκα γονεῖς πρὸς τὸν συμπαθέστατον πατέρα Βενέδικτον μετὰ (β) μεγίστου κλαυθμοῦ προσέδραμον, δεόμενοι ὅπως διὰ τῆς ἐνούσης ἐν αὐτῷ θείας χάριτος οἰκτει-

ρή-

(*a*) Alii, *De puero poſt ſepulturam ad terram projecto*. In Gr. *De monacho præter ſancti viri voluntatem ad parentes digreſſo, atque ibi emortuo.*

(*b*) In Gr. *atque ad eorum habitaculum frequenter divertens.*

(α) Fl. μοναχός τις νεανίσκος τῆς μονῆς &c.

(β) Reg. μεγάλης παρακλήσεως καὶ

currentes, cum magno fletu petierunt, ut ei ſuam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu ſua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens. Ite atque hoc Dominicum corpus ſuper pectus ejus (*a*) cum magna reverentia ponite, eumque ſic ſepulturæ tradite. Quod cum factum fuiſſet, ſuſceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit. Perpendis, Petre, apud Jeſum Chriſtum Dominum, cujus meriti iſte vir fuerit, ut ejus corpus etiam terra projiceret, qui Benedicti gratiam non haberet.

PETRUS. Perpendo plane, & vehementer ſtupeo.

ῥήσας τὸ ὕπως ἀθλίως (α) θανόντα προστάξῃ τοῦτον ὑπὸ τῆς γῆς καταχωσθῆναι. ἑωρακὼς οὖν ὁ μακάριος τὴν κατώδυνον αὐτῶν καρδίαν, λαβὼν ἀπὸ τοῦ δεσποτικοῦ σώματος μερίδα μίαν δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτῶν, εἰπὼν πρὸς αὐτούς· ἀπέλθετε, καὶ τοῦτο δεσποτικὸν σῶμα ἐπάνω τοῦ στήθους αὐτοῦ βαλόντες τῇ προσηκούσῃ ταφῇ παραδίδοτε. τοῦτο οὖν πεποιηκότες οἱ τοῦ τεθνεῶτος γονεῖς οὐκέτι ὑπὸ τῆς γῆς (β) ἐξερρίφη τὸ ταφὲν σῶμα· ἀλλὰ κατὰ τὴν τοῦ ἁγίου πρόσταξιν, ἔμεινεν καταχωσθὲν ὑπὸ τῆς γῆς. ὁρᾷς, Πέτρε, ποίας καταχείσεως παρὰ Ἰησοῦ (γ) Χριστοῦ (δ) ἠξιώθη ἐκεῖνος ὁ ἀνήρ· ὅτι τὸ σῶμα αὐτοῦ ἡ γῆ ἀπέρριψεν, διότι τὴν τοῦ μακαρίου Βενεδίκτου εὐμένειαν οὐκ εἶχεν.

ΠΕΤΡ. Θαυμάζω ἀληθῶς, καὶ σφόδρα ἐκπλήττομαι.

De M Πε

(*a*) Deeſt in utroque Subl. *cum magna reverentia*, quod pariter abeſt a Græca Interpr.

(α) Fl. θανέντα.

(β) Reg. ἐρριμμένον τὸ ταφὲν σῶμα εἶδον. ἀλλά.

(γ) Reg. Χῦ ἐν ταῖς γήϊνοις ἐκεῖνος ὁ

(δ) Fl. κατηξιώθη.

(a) De monacho qui in gradu eodem monaſterii deſcendens draconem contra ſe in itinere invenit.

C A P. XXV.

GREGORIUS. Quidam autem ejus Monachus (*b*) mobilitati mentem dederat, & permanere in Monaſterio nolebat, cumque eum vir Dei aſſidue corriperet, frequenter ammoneret, ipſe vero nullo modo conſentiret in Congregatione perſiſtere, atque importunis precibus, ut relaxaretur, immineret, quadam vero die iſdem venerabilis Pater nimietatis ejus tædio affectus, iratus juſſit, ut diſcederet. Qui mox

Περὶ τοῦ ἐξελθόντος μοναχοῦ τῆς μονῆς οὗτινος ἐν τῇ ὁδῷ δράκων ὑπήντησεν.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΚΕ΄.

ΓΡΗΓ. Ην τις ἐκ τῶν μοναχῶν τῆς μονῆς τοῦ ὁσίου πατρὸς Βενεδίκτου· ὅστις τῷ τῶν λογισμῶν ῥεμβασμῷ ὑπὸ τοῦ τῆς ἀκηδίας δαίμονος κυκλωθεὶς, τῇ τοῦ κανόνος ἀκριβεστάτῃ παραδόσει (α) στοιχῆσαι οὐδαμῶς ἤθελεν. ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος τοῦτον νουθετῶν, οὐ (β) διέλιπε, καὶ συνεχῶς παιδεύων οὐκ ἠμέλησεν. ἐκεῖνος δὲ (γ) οὐκ εἵλατο τοῦ πατρὸς ὑπακοῦσαι παραινέσεως, ἀλλὰ καὶ ἀναιδῶς τῷ ἁγίῳ προσπίπτων οὐκ ἐπαύετο, ἵνα ἐαθῇ ὑπ' αὐτοῦ πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ γονεῖς πορευθῆναι. ἐν μιᾷ οὖν (δ) ἡμέρᾳ ὁ σεβάσμιος πατὴρ ὑπὸ τῆς αὐτοῦ παρακλήσεως ὀχληθεὶς, ἐν θυμῷ ἐκέλευσεν

(*a*) Titulum hujus Capitis varie præferri a Codicibus Caſinenſibus teſtatur Angelus de Nuce. Nam Codex 85. legit, *De Monacho qui in gradu eodem monaſterii deſcendens, draconem contra ſe in itinere invenit*, Cod. 169. *De monacho, qui ingratus de eodem monaſterio diſceſſit, draconem in itinere invenit*. Cod. 272. *De Monacho qui ingrato eumdem monaſterii deſcendit, draconem contra ſe* &c. Editi, quibus ſuffragatur Græc. Int. *De monacho, qui de monaſterio diſcedens, draconem in itinere invenit*. At Mabillon. *De monacho, qui ingrato eodem monaſterio diſcedens, draconem contra ſe in itinere invenit*.

(*b*) Editi paſſim, *mobilitati mentis deditus erat*.

(α) Fl. & Reg. στοιχῆσαι.

(β) Fl. ἐπαύετο. Reg. διέλιπε.

(γ) Fl. τῆς τοῦ πατρὸς οὐχ ἤλετο παραινέσεως.

(δ) Reg. τῶν ἡμερῶν.

mox ut Monaſterium exiit, contra ſe aſſiſtere aperto ore draconem in itinere invenit. Cumque eum iſdem draco, qui apparuerat, devorare vellet, cœpit ipſe tremens, (*a*) & palpitans magnis vocibus clamare, dicens: (*b*) currite, currite, quia draco iſte me devorare vult. Currentes autem Fratres, draconem minime viderunt, ſed trementem, atque (*c*) palpitantem Monachum ad Monaſterium reduxerunt, qui ſtatim promiſit nunquam ſe jam a Monaſterio receſſurum, atque ex hora eadem in ſua promiſſione permanſit. Quippe qui ſancti viri orationibus contra ſe aſſiſtere draconem viderat, quem prius non videndo ſequebatur.

σει, ἵνα τῆς μονῆς ὑποχωρήσῃ. ὅστις εὐθέως ἡνίκα ἐκ τοῦ μοναστηρίου ἐξῆλθε κατενώπιον αὐτοῦ ἐν τῇ ὁδῷ δράκοντα (α) ἀνεῳγμένῳ τῷ στόματι εὗρε, καταπιεῖν τοῦτον θέλοντα. ἤρξατο οὖν αὐτὸς (β) τρέμειν, καὶ ψηλαφῶν μεγίσταις φωναῖς κράζων ἔλεγε· δράμετε, δράμετε, ὅτι ὁ δράκων οὗτος καταφαγεῖν με θέλει. (γ) δραμόντες δὲ (δ) ὁμοῦ δύο ἀδελφοὶ τὸν μὲν δράκοντα οὐκ ἐθεωρήσαντο, τρέμοντα δὲ καὶ ψηλαφῶντα τὸν μοναχὸν εὑρόντες εἰς τὸ μοναστήριον ὑπέστρεψαν. ὅστις εὐθέως ὑπέσχετο μηδέποτε (ι) ἐκ τοῦ μοναστηρίου ἐξιέναι, ἢ ἀποστῆναι. ἀπὸ γὰρ τῆς ὥρας ἐκείνης ἐν τῇ ἑαυτοῦ ὑποσχέσει ὑπέμεινε καὶ ταῖς τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς εὐχαῖς τειχισθεὶς, τὸν κατέναντι αὐτοῦ ἑστῶτα δράκοντα, ὅντινα πρότερον μὴ ὁρῶν ἠκολούθει, τοῦτον οὐδαμῶς τοῦ λοιποῦ ἐθεάσατο.

De M 2 Πε

(*a*) In Gr. & *palpans*.

(*b*) In excuſis, *ſuccurrite*.

(*c*) In Gr. *palpantem*. Ex vocum ſimilitudine hallucinatum hic & paulo ſuperius Interpretem, aut corrupto uſum Codice, in quo *palpans*, & *palpantem*, legerat, ſuſpicatur Guſsanv.

(α) Fl. & Reg. ἀνεῳγμένον τὸ στόμα ἔχοντα εὗρε καταπιεῖν αὐτὸν θέλοντα. ἤρξατο οὖν ὁ αὐτὸς.

(β) Fl. τρέμειν καὶ μεγίσταις φωναῖς κράζειν καὶ λέγειν.

(γ) Cum in Vatic. legeretur tantum δραμόντες δὲ καὶ ψηλαφῶντα, *omiſſa revocavimus* (ait Sammarth.) *ope MS. Colb.* neſcio cujus Colb. non illius utique, quem in XII. Capite deſinere, eo loco ipſemet adnotavit, nec alterius ex ea Bibliotheca; nam duo tantum exemplaria Græca expurgandæ Zacharianæ Interpretationi præſto ſibi fuiſſe fatetur in calce Præfat. in Dialogos. Forte ſcribendum *ope MS. Reg.*

(δ) Fl. οἱ ἀδελφοὶ τὸν μὲν δράκοντα οὐδαμῶς ἐθεάσαντο, τρέμοντα δὲ καὶ ψηλαφῶντα τὸν μοναχὸν εὗρον, καὶ εἰς τό.

(ι) Fl. ἀπὸ τοῦ.

(a) De elephantioſo curato.

C A P. XXVI.

SEd neque hoc ſilendum puto, quod illuſtri viro (*b*) Aptonio narrante cognovi, qui ajebat, patris ſui puerum morbo elephantino fuiſſe (*c*) correptum, ita ut jam pilis cadentibus, cutis intumeſceret, (*d*) atque increſcentem ſaniem occultare non poſſet. Qui ad virum Dei ab eodem patre ejus miſſus eſt, & ſaluti priſtinæ ſub omni celeritate reſtitutus.

De

Περὶ τοῦ ἰαθέντος παιδὸς ἀπὸ τῆς λέπρας.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Κϛ'.

Νομίζω μηδὲ τοῦτο σιγῆς ἄξιον ὑπάρχειν, ὅπερ ἰλλυςρίῳ ἀνδρὶ (α) Ἀντωνίῳ τοὔνομα διηγουμένῳ ἤκουσα· ὅς τις ἔλεγε τοῦ πατρὸς αὐτοῦ παῖδα ἐπίχυσιν ἐλεφαντίας ὑπομείναντα, καὶ λοιπὸν τῶν τριχῶν αὐτοῦ πεπτωκυιῶν, τὸ δέρμα αὐτοῦ ἐφυσήθη. εἶτα προϊούσης τῆς νόσου, λαθεῖν οὐκ ἠδύνατο. πρὸς δὲ τὸν ἄνθρωπον τοῦ Θεοῦ ὑπὸ τοῦ ἑαυτοῦ πατρὸς ἀπεςάλη, καὶ ἐν τῇ προτέρᾳ ὑγείᾳ ὁ παῖς ἀποκαταςαθεὶς, τῷ οἰκείῳ δεσπότῃ μετὰ πάσης σπουδῆς ἀπεδόθη.

Πε-

(*a*) Alii, *De puero ab elephantino morbo curato,* ut in Gr.
(*b*) Editi & plures MSS. *Antonio* ut in utroque Subl. & in Gr.
(*c*) Guſs. *corruptum*.
(*d*) Alii, *atque increſcente ſanie occult.*
(α) Fl. & excuſi Ἀπωνίῳ.

(*a*) *De ſolidis per miraculum debitori redditis.*

C A P. XXVII.

NEque illud taceam, quod ejus diſcipulus, Peregrinus nomine, narrare conſueverat: quia die quadam fidelis vir quidam neceſſitate debiti compulſus, unum ſibi fore remedium credidit, ſi ad Dei virum pergeret, & quæ eum urgeret debiti neceſſitas, indicaret. Venit itaque ad Monaſterium, omnipotentis Dei famulum repperit, & quia a creditore ſuo pro duodecim ſolidis graviter affligeretur, intimavit. Cui venerabilis Pater, nequaquam ſe habere duodecim ſolidos reſpondit, ſed tamen ejus ino-

Περὶ τῶν εὑρεθέντων ιγ΄. νομισμάτων διὰ προσευχῆς τοῦ ἁγίου.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΚΖ΄.

(α) ΚΑὶ τὰ περὶ Περεγρίνου τοῦ μαθητοῦ τοῦ μακαρίου ἀνδρὸς Βενεδίκτου διηγηθέντα μοι οὐδαμῶς ἡγοῦμαι (β) δίκαιον σιγῇ παραδοῦναι. εἴρηκε γάρ μοι ὁ αὐτὸς, ὅτι ἔν τινι ἡμέρᾳ ἀνήρ τις πιστὸς ἀνάγκῃ χρέους συνεχόμενος, καὶ ὑπὸ τῆς (γ) χρεοφειλέτου τὸ δάνειον ἀπαιτούμενος, καὶ μὴ ἔχων τὸ πόθεν ἀποδοῦναι, μεγίστην ἑαυτῷ εὐεργεσίαν γενέσθαι ἐπίστευσεν, εἰ πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον παραγένηται. ὁ δὴ πορευθεὶς προσέπεσεν τοῖς τοῦ ἁγίου ποσὶν, τὴν συνέχουσαν (δ) αὐτοῦ τοῦ χρέους τῶν δώδεκα νομισμάτων ἀνάγκην ἀπαγγέλλων. ὁ δὲ σεβάσμιος πατὴρ συμπαθῶς πρὸς αὐτὸν πρᾳείᾳ τῇ φωνῇ εἶπεν· ἀδελφὲ συγχώρησον, ὅτι οὐδαμῶς ἔχω δώδεκα νομίσματα. ἀλλ' ἄπελθε, καὶ μετὰ δύο ἡμέρας (ε) ὑπό-

στρε-

(*a*) Laur. *De ſolidis per miraculum pauperi redditis.* Hæſt. *De ſolidis per miraculum presbytero redditis.* Lemma hoc Editio Antuerpienſis e Vaticana expreſſa Hæſteno ſuppeditavit, cui tamen mirum viſum eſt, propterea quod ex textu non pateat fidelem hunc virum Sacerdotem fuiſſe, nec ab aliis eo nomine compelletur. In Gr. *De tredecim ſolidis per ſancti viri orationem adinventis.*

(α) Fl. ὃ καὶ παρὰ Περεγρίνου δι᾽ τοῦ μαθητοῦ τοῦ μακαρίου πατρὸς Βεν.

(β) Reg. δίκαιον σιγῆσαι.

(γ) Reg. δανειστοῦ.

(δ) Fl. αὐτῷ.

(ε) Fl. ὑπόστρεψον.

inopiam blanda locutione conſolatus, ait. Vade & poſt biduum revertere, quia deeſt hodie, quod tibi debeam dare. In ipſo autem biduo more ſuo in oratione fuit occupatus. Cumque die tertio is, qui neceſſitate debiti affligebatur rediit, ſuper arcam vero Monaſterii, quæ erat frumento plena, ſubito tredecim ſolidi ſunt inventi: quos vir Dei deferri juſſit, & afflicto petitori tribuit, dicens: ut duodecim redderet, & unum in expenſis propriis haberet.

Sed ad ea nunc redeam, quæ ejus diſcipulis in libri hujus exordio prædictis referentibus agnovi. Quidam vir graviſſima adverſarii ſui æmulatione laborabat, cujus ad hoc uſque odium prorupit, ut ei neſcienti in potu (α) venenum daret, cui quamvis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutavit, ita ut dif-

στρεψον πρός με. οὐ γὰρ ἔχω σήμερον ὅπερ σοι παρασχεῖν (α) ὀφείλω. ἐν δὲ ταῖς δυσὶν ἡμέραις ἐκείναις ἦν ὁ πατὴρ σχολάζων ἐν τῇ προσευχῇ. τῇ οὖν τρίτῃ ἡμέρᾳ παρεγένετο ὁ ἀνὴρ ἐκεῖνος, (β) ὅστις ὑπὸ τῆς ἀνάγκης τοῦ χρέους συνείχετο πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον. ἄρκλα οὖν ὑπῆρχεν ἐν τῷ μοναστηρίῳ, ἥτις ἦν ὀσπρίων πλήρης· ὑπεράνω δὲ ταύτης αἰφνίδιον διὰ τῆς τοῦ θεοφόρου πατρὸς εὐχῆς, τρισκαίδεκα νομίσματα εὑρέθησαν. ἅπερ ὁ σημειοφόρος Βενέδικτος ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι, καὶ τῷ τεθλιμμένῳ δοθῆναι αὐτῷ. εἰπὼν πρὸς αὐτόν· ἄπελθε, τέκνον, καὶ τὰ μὲν δώδεκα νομίσματα ἀπόδος (γ) τῷ χρεοφειλέτῃ· τὸ δὲ ἓν (δ) νόμισμα κάτεχε σεαυτῷ διὰ τὰς ἀναγκαίας σου χρείας.

Ἀλλ' ἐπὶ τὸ προκείμενον ἡμῖν ἐπανιτέον αὖθις, διηγουμένοις τὰ τοῦ σημειοφόρου πατρὸς θεῖα τεράστια, ἅπερ παρὰ τῶν αὐτοῦ φοιτητῶν τῶν ἐν ταύτῃ τῇ βίβλῳ ἀνωτέρω μνημονευθέντων, ἀκοῇ παρείληφα. ἦν τις ἀνὴρ, ὅστις εἶχεν ἕτερον ζηλοτυποῦντα αὐτῷ, καὶ ἐχθρωδῶς πρὸς αὐτὸν διακείμενον. ὁ οὖν μισόκαλος δαίμων (ε) ἐπὶ τοσοῦτον ἐμμανῶς τοῦτον συνώθησεν, ὥστε θανατηφόρον ἐπινοήσασθαι κατ' αὐτοῦ δηλητήριον, καὶ τοῦτο ἀγνοοῦντα τὸν ἄνδρα πιεῖν

(α) Alii, *venenum miſceret*.
(α) Fl. & Reg. ὤφειλον.
(β) In Fl. deeſt ὅστις ὑπὸ τῆς ἀνάγκης τοῦ χρέους συνείχετο.
(γ) Reg. τῷ δανειστῇ.
(δ) In Fl. deeſt νόμισμα.
(ε) In Fl. deeſt ἐπὶ [illegible].

diffuſa in corpore ejus varietas, lepræ morem imitari videretur. Sed ad Dei hominem deductus, ſalutem priſtinam citius recepit: nam mox, ut eum contigit, omnem cutis illius varietatem fugavit.

πιεῖν (α) παρεσκεύασεν, ἵνα τοῦ τύπου τῆς προσκαίρου ζωῆς θᾶττον ἀπαλλάξῃ. καὶ ὁ μὲν ἀνὴρ τὸ δηλητήριον πεπωκὼς οὐ τέθνηκεν, ἀλλ᾽ (β) ἐκχυθείσης ἐν ὅλῳ τῷ σώματι αὐτοῦ τῆς ἐλεφαντίας τὸ εἶδος, ἐλεεινὸν θέαμα τοῖς ἁπάντων ὀφθαλμοῖς πρόκειτο. εἶτα πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον ἀπενεχθεὶς τὴν προτέραν ὑγείαν ταχέως ἀπέλαβε· τῇ γὰρ σημειοφόρῳ αὐτοῦ δεξιᾷ ἁψάμενος τοῦ σώματος αὐτοῦ, πᾶσαν ἀπὸ τοῦ δέρματος αὐτοῦ (γ) τὴν τῆς ἐλεφαντίας νόσον ἐφυγάδευσεν.

(*a*) *De ampulla vitrea in ſaxis projecta, & non fracta.*

Περὶ τοῦ ῥιφέντος ἀνακλασαρίου σὺν τῷ ἐλαίῳ κατ᾽ ἐπιτροπὴν αὐτοῦ, καὶ μὴ κλασθέντος.

CAP. XXVIII.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΚΗ᾽.

EOdem quoque tempore, quo alimentorum inopia Campaniam graviter affligebat, vir Dei diverſis indigentibus Monaſterii ſui cuncta tribuerat, ut pene nihil in Cellario niſi parum quid olei in vitreo vaſe remaneret. Tunc quidam Subdiaconus, Agapitus nomine, advenit, magnopere poſtulans, ut ſibi

ΚΑτ᾽ ἐκεῖνον τοίνυν τὸν καιρὸν καθ᾽ ὃν τὴν Καμπανίαν λιμὸς συνεῖχε βαρύτατος, ὁ τοῦ Χριστοῦ πιστὸς καὶ φρόνιμος οἰκονόμος οὐκ ἐπαύετο πᾶσι τοῖς ἐνδέεσι τὴν πρέπουσαν συμπαθῶς διανομὴν τῶν ἀναγκαίων τοῦ σώματος χρειῶν ποιούμενος· ἕως οὗ παντελῶς ἐκ τοῦ μοναστηρίου ἐξέλιπον, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἀπολειφθὲν ἐν τῷ κελλαρείῳ τῆς μονῆς, εἰ μὴ βραχύ τι ἐλαίου ἐν ὑαλίνῳ σκεύει. εἷς δέ τις ὑποδιάκονος τὴν προσηγορίαν Ἀγαπητὸς ἦλθε πρὸς

(α) Fl. & Reg. παρεκέλευσεν.
(β) Reg. ἐκχυθείσῃ τῷ σώματι ὅλῳ.
(γ) Fl. τὴν ἐλεφαντίαν ἐφυγάδευσεν.

ſibi aliquantulum olei dari debuiſſet. Vir autem Domini qui cuncta decreverat in terra tribuere, ut in Cœlo omnia reſervaret, hoc ipſum parum, quod remanſerat olei, juſſit petenti dari: Monachus vero, qui Cellarium tenebat, audivit quidem jubentis verba, ſed implere diſtulit. Cumque poſt paululum ſi id, quod juſſerat, datum eſſet inquireret, reſpondit Monachus, ſe minime dediſſe: quia ſi illud tribueret, omnino nihil Fratribus remaneret. Tunc iratus, aliis præcipit, ut hoc ipſum vas vitreum, in quo parum olei remanſiſſe videbatur, per feneſtram projicerent, ne in cella aliquid per inobedientiam remaneret. Factumque eſt. Sub feneſtra autem eadem ingens præcipitium patebat ſaxorum molibus aſperum. Projectum itaque vas vitreum, venit in ſaxis, ſed ſic manſit incolume, ac ſi projectum mi-

αὐτῶν χερσὶ τὰ ἀδύνατα μέλη ὑποστηριζόμενος, ὑψώσας ἐν τῷ οὐρανῷ τὰς χεῖρας, ἔστη κατὰ ἀνατολάς, καὶ τὴν ἡγιασμένην καὶ καθαρωτάτην αὐτοῦ ψυχὴν σὺν τῇ προσευχῇ εἰς τοὺς οὐρανοὺς (α) ἀνεσφαίρισεν. (β) ἐν αὐτῇ οὖν τῇ ἡμέρᾳ δυσὶν ἀδελφοῖς τῷ μὲν ἑνὶ ἐν τῷ ἑαυτοῦ κελλίῳ ἡσυχάζοντι, τῷ ἑτέρῳ μηκόθεν οἰκοῦντι, ἀποκάλυψις μία καὶ ἐφάμιλλος ἐφάνη. εἶδον τοίνυν ἑκάτεροι, καὶ ἰδοὺ ὁδὸς ἀπὸ τοῦ κελλίου αὐτοῦ μέχρι τοῦ οὐρανοῦ παρατεινομένη, ἐκ σηρικῶν ἱματίων ὅλη ἐστρωμένη, καὶ λαμπάδες ἀμέτρητοι ἐν αὐτῇ κατὰ ἀνατολὰς ἐνορδίνως καιόμεναι. καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ εὐσχήμων καὶ φαιδρὸς τῷ σχήματι ὑπεράνωθεν ἑστὼς ἠρώτα τούτους, λέγων τινός (γ) ἐστιν ἡ ὁδὸς αὕτη, ἣν κατανοεῖτε θαυμάζοντες; αὐτῶν δὲ ἀγνοεῖν ὁμολογησάντων ἔφη πρὸς αὐτούς· αὕτη ἐστὶν ἡ ὁδὸς δι᾽ ἧς ὁ τοῦ Θεοῦ ἀγαπητὸς Βενέδικτος ἐν τῷ οὐρανῷ ἀνέρχεται. τότε οὖν συνῆκαν τὴν τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς τελείωσιν. καθάπερ γὰρ οἱ παρόντες μαθηταὶ ἐθεάσαντο, ὁμοίως καὶ οἱ ἀπόντες διέγνωσαν ἐκ τοῦ προλεχθέντος αὐτοῖς σημείου. ἐτάφη δὲ τὸ ἡγιασμένον αὐτοῦ σῶμα ἐν τῷ εὐκτηρίῳ τοῦ μακαρίου Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ, ἐν ᾧπερ τὸν τοῦ Ἀπόλλωνος βωμὸν κατέστρεψεν, καὶ τὸν εὐκτήριον οἶ-

κον

(a) Alii *viderunt namque viam ſtratam.*

(α) Fl. & Reg. ἀνέπεμψεν.

(β) Reg. ἐν αὐτῇ οὖν ὥρᾳ.

(γ) In Fl. deeſt ἐστι.

quod, deſtructa Ara Apollinis, ipſe conſtruxit, Qui & in eo ſpecu, in quo prius (a) Sublacu habitavit, nunc uſque ſi petentium fides exigat, miraculis coruſcat.

κον τοῦ προδρόμου συνεστήσατο. (α) ἐν τῷ σπηλαίῳ τῷ ὑπὸ τὸν λάκκον, ἐν ᾧ τὸ πρὶν κατῴκησεν, ἕως τοῦ παρόντος, ἐὰν μετὰ πίστεως οἱ αἰτούμενοι προσέρχονται, μεγίστη θαυμάτων χάρις διαλάμπει.

De inſana muliere (b) per ejus ſpecu ſanata.

C A P. XXXVIII.

GREGORIUS. Nuper namque eſt res geſta, quam narro. Quia quædam mulier mente capta, dum ſenſum funditus perdidiſſet, per montes, & valles, ſylvas, & campos, die noctuque vagabatur, ibique tantummodo quieſcebat, ubi hanc quieſcere laſſitudo coegiſſet. Quadam vero die dum vaga nimium erraret, ad beati viri Benedicti ſpecum devenit, ibique neſciens ingreſſa manſit

Περὶ ἰαθείσης γυναικὸς διὰ προσευχῆς τοῦ ἁγίου.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΛΗ'.

Ὅπερ γὰρ διηγοῦμαι πρᾶγμα ἀρτίως αὐτόθι γέγονε. γυνή τις τὴν κατὰ φύσιν ἐκστάσει φρενῶν, ἐν ὄρεσι καὶ κοιλάσιν, ὕλαις τε καὶ πεδίοις (β) νύκτωρ τε καὶ μεθ᾽ ἡμέραν πλαζομένη ἐπλανᾶτο. ἐκεῖ δὲ καὶ μόνον ἀνεκλίνετο, ἔνθα ταύτην ἡ ἀπονία καθεύδειν ἠνάγκαζεν. ἐν μιᾷ οὖν (γ) ἡμέρᾳ, ἡνίκα κατὰ τὴν ἔρημον ἐπλανᾶτο, ἐν τῷ τοῦ μακαρίου ἀνδρὸς Βενεδίκτου σπηλαίῳ ὁδηγηθεῖσα, ἀγνοοῦσα εἰσῆλθε καὶ ἔμεινεν. πρωίας δὲ γενομένης οὕτως ὑγιὴς τῷ φρονήματι ἐξῆλθεν, ὡς ὅτι οὐδεμίαν βλάβην φρενῶν ποτε ὑπέμεινεν. ἥτις ἐν παν-

(a) Deeſt in Vulgatis *Sublacu*, at adeſt in pleriſque MSS. variante tamen lectione, nam alicubi legitur, *in quo prius Sublacu habitavit*, alibi, *in quo prius cui vocabulum eſt Sublacus, hab.* alibi, *in quo prius hab. cui Sublacus voc. eſt*. In Gr. *in ſpecu quod ſub lacu eſt*.

(b) Alii, *in ejus ſpecu*.

(α) Fl. ἐν τῷ σπηλαίῳ τούτῳ, atque hinc exorditur Caput ſubſequens.

(β) In Fl. deeſt νύκτωρ τε καὶ μεθ᾽ ἡμέραν.

(γ) Reg. τῶν ἡμερῶν.

ſit. Facto autem mane, ita ſanato ſenſu egreſſa eſt, ac ſi eam nunquam inſania capitis ulla tenuiſſet: quæ omni vitæ ſuæ tempore in eadem, quam acceperat, ſalute permanſit.

PETRUS. Quidnam eſſe dicimus, quod plerumque in ipſis quoque (α) patrociniis Martyrum, ſic eſſe ſentimus, ut non tanta per ſua corpora, quanta beneficia per reliquias oſtendant, atque illic majora ſigna faciunt, ubi minime per ſemetipſos jacent?

GREGORIUS. Ubi in ſuis corporibus ſancti Martyres jacent, dubium, Petre, non eſt, quod multa valeant ſigna demonſtrare, ſicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula oſtendunt. Sed quia ab infirmis poteſt mentibus dubitari, utrum ne ad exaudiendum ibi præſentes ſint, ubi conſtat, quia

τὸ χρόνῳ τῆς ζωῆς αὐτῆς ἐν τῇ δωρηθείσῃ αὐτῇ ὑγείᾳ διέμεινε.

ΠΕΤΡ. Τί τοῦτο εἶναι λέγομεν, ὅπερ ἐν τοῖς τῶν ἁγίων μαρτύρων λειψάνοις θεωροῦμεν γινόμενον; πλεῖον γὰρ, σχεδὸν εἰπεῖν, θαυματουργίας ἐπιτελοῦνται ἐν τοῖς ἀποκτηρίοις, ἐν οἷς λείψανα ἐπ' ὀνόματι αὐτῶν κατατίθενται, ἤπερ ἐν ᾧ τὰ τούτων κατάκεινται σώματα. πληρεστάτως μὲν οὖν χάριν τοῦ Θεοῦ χάριν εἶναι πιστεύομεν, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτῶν σώμασιν. ἐκεῖ δὲ μᾶλλον μεγάλα σημεῖα ἐπιδεικνύουσιν, ἔνθα ὅλῳ τῷ σώματι οὐ κατάκεινται.

ΓΡΗΓ. Ενθα τὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων σώματα κεῖνται, δισταγμὸς, Πέτρε, οὐκ ἔστιν, ὅτι πολλὰ σημεῖα δύνανται ἐπιδεῖξαι, ὥσπερ καὶ ποιοῦσιν. τοῖς γὰρ (α) καθαρῷ τῷ λογισμῷ προσερχομένοις ἀμέτρητα θαύματα ἐπιδεικνύουσιν. διὰ δὲ τὸ ἐν δισταγμῷ ὑπάρχειν (β) τοὺς ἀσθενέστερον τῷ λογισμῷ διακειμένους, ὡς μὴ παρεῖναι τοὺς ἁγίους, ἔνθα τὰ αὐτῶν ὁλικῶς οὐ κατάκεινται σώματα, καὶ ὡς ἐκ τούτου τοὺς προσερχομένους μὴ εἰσακούεσθαι,

(α) In Gr. *reliquiis*.
(α) Fl. καθαρωτάτῳ λογισμῷ.

(β) Reg. ἀσθενεστέρῳ λογισμῷ.

quia in ſuis corporibus non ſint, ibi eos neceſſe eſt majora ſigna oſtendere, ubi de eorum præſentia poteſt mens infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa eſt, tanto majus habet fidei meritum, quando illic eos novit, & non jacere corpore, & tamen non deeſſe ab exauditione. Unde quoque ipſa veritas, (*a*) ut fidem diſcipulis augeret, dixit. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. (*b*) Cum enim conſtet, quia Paraclitus Spiritus ex Patre ſemper procedat, & Filio, cur ſe Filius receſſurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio nunquam recedit? Sed quia diſcipuli in carne Dominum cernentes, corporeis hunc ſemper oculis

θαι, ἐκεῖ μᾶλλον αὐτοὺς ἀναγκαῖόν ἐστι μεγάλα σημεῖα ἐπιδεῖξαι, ἔνθα περὶ τῆς αὐτῶν παρουσίας ὁ ἀσθενὴς λογισμὸς διστάζει. ὧν δὲ ὁ νοῦς ἡδρασμένος ἐν τῷ Θεῷ ὑπάρχει, ἤτοι ἐν τῷ τῆς πίστεως ἀξιώματι ὄντες γινώσκουσιν ὅτι εἰ καὶ μὴ κεῖνται αὐτῶν ἐκεῖσε τὰ σώματα, πλὴν (α) ὅμως τῶν ταῖς εὐχαῖς εἰσακούειν μὴ ἀπολιμπάνεσθαι αὐτούς. ὅθεν τοίνυν καὶ αὐτὴ ἡ ἀλήθεια ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ἵνα πίστιν τοῖς μαθηταῖς προσθῇ εἶπεν· εἰ μὴ ἐγὼ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἔρχεται πρὸς ἡμᾶς. φανερὸν οὖν ὑπάρχει, ὅτι τὸ παράκλητον πνεῦμα ἐκ τοῦ πατρὸς προέρχεται, καὶ ἐν τῷ υἱῷ διαμένει. τίνος οὖν χάριν ἑαυτὸν ὁ υἱὸς πορευθῆναι λέγει; ἵνα ἐκεῖνος ἔλθῃ ὅστις οὐδέποτε ἀπ' αὐτοῦ ἐχωρίσθη. (β) οἱ μαθηταὶ ἐν σαρκὶ τὸν κύριον ὁρῶντες τοῖς σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς τοῦτον πάντοτε θεωρεῖν ἐπεθύμουν. ὀρθῶς οὖν αὐτοῖς ἐῤῥέθη· εἰ μὴ ἐγὼ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ (γ) ἔρχε-

lis | χε-

(*a*) Alii, *ut fidem ſalutis.*

(*b*) In Gr. *aperte igitur patet, quod Paraclitus Spiritus a Patre procedit & in Filio permanet* longe aliter ac apud Gregorium Latine. De hac Græcorum corruptela Joannes Diaconus lib. 4. de Vita ejuſdem Gregorii cap. 75. de Dialogis loquens, hæc habet: *Quos libros Zacharias, ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus, Græco Latinoque ſermone doctiſſimus, temporibus Conſtantini Imperatoris, poſt annos ferme 175. in Græcam linguam convertens, Orientalibus Eccleſiis divulgavit: quamvis aſtuta Græcorum perverſitas in commemoratione Spiritus Sancti a Patre procedentis, nomen Filii ſuaptim radens abſtulerit.* Poſt Romanam Editionem aliæ deinceps cenſuram hanc attexuerunt.

(α) In Fl. deeſt ὅμως.

(β) Fl οἱ γὰρ μαθηταί.

(γ) Fl. ἐλεύσεται.

lis videre ſitiebant, recte eis dicitur. Niſi ego abiero, Paraclitus non veniet: Ac ſi aperte diceretur. Si corpus non ſubtraho, (*a*) qui ſit Amor ſpiritus non oſtendo. Et niſi me deſieritis corporaliter cernere, nunquam me diſcitis ſpiritualiter amare.

χεται· τυτέςιν εἰ μὴ τὸ σῶμα ἀποκρύψω, (α) τί ἐςιν ὁ τῦ πνεύματος πόθος ἐ δεικνύω. καὶ εἰ μὴ ἐμὲ καταλείψητε σωματικῶς θεωρεῖν, οὐδέποτε μανθάνετε πνευματικῶς (β) με ἀγαπᾷν.

PFTRUS. Placet, quod dicis.

ΠΕΤΡ. Αρέσκει ὃ λέγεις.

GREGORIUS. Aliquantulum jam a locutione ceſſandum eſt, ut ſi ad aliorum miracula enarranda tendimus, loquendi vires interim per ſilentium reparemus.

ΓΡΗΓ. Ολίγον ἐκ τῆς σιωπηλίας παυσώμεθα, (γ) ἵνα ἐὰν εἰς τὰ τῶν λοιπῶν θαύματα τὸν λόγον ἐν τῇ διηγήσει παρεκτείνωμεν, δύναμιν τῦ λέγειν διὰ τῆς σιγήσεως ἀνακαινήσωμεν.

(*a*) Alii, *quis ſit amor*; Alii, *quid ſit amor*.

(α) Fl. ὁποῖός ἐςιν.

(β) In Fl. deeſt με.

(γ) Fl. ἵνα εἰς τὰ τῶν λοιπῶν θαύματα τὸν λόγον ἐν τῇ διηγήσει ἐπεκτείνωμεν, δύναμιν τῦ λέγειν ἐκ τῆς σιγήσεως ἀνανεανίσαντες, ἐν Χριςῷ Ἰησῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Αμήν.

ΤΕΛΟΣ.

FINIS.

E duobus Codicibus MSS. Sublacenſis Bibliothecæ, cum quibus nunc primum collata exhibetur Vita B. Benedicti, vetuſtiorem & grandioris formæ Sublacenſem A. appellavimus alium vero Sublacenſem B.

Digitized by Google

Digitized by Google

VETERUM CARMINA
DE
S. P. BENEDICTO.

Verſus Marci Poetæ, Monachi Caſinenſis, & Diſcipuli S. P. Benedicti.

CÆca prophanatas coleret dum turba figuras;
Et manibus factos crederet eſſe Deos.
Templa ruinoſis hæc olim ſtruxerat aris,
Quis dabat obſcœno ſacra cruenta Jovi.
Sed juſſus veniens eremoque vocatus ab alta
Purgavit ſanctus hanc Benedictus humum:
Sculptaque confractis dejecit marmora ſignis,
Et templum vivo præbuit eſſe Deo.
Huc properet cœlos optat qui cernere apertos;
Nec remoret votum ſemita dura pium.
Semper difficili quæruntur magna labore,
Artam ſemper habet vita beata viam.
Huc ego cum ſcelerum depreſſus faſce ſubiſſem,
Depoſitum ſenſi pondus abeſſe mihi.
Credo quod & felix vita fruar inſuper illa,
Oras pro Marco ſi, Benedicte, tuo.
Hunc plebs ſtulta locum quondam vocitaverat Arcem;
Marmoreiſque ſacrum fecerat eſſe Deis.
Quod tunc ſi vero ſignaſſet nomine quiſquam,
Tartareum potuit jure vocare chaos.
Ad quem cæcatis errantes mentibus ibant,
Improba mortifero reddere vota Jovi.
Sed puto prævifæ culmen ſignaverat aulæ,
Nomine tunc Arcis templa moderna vocans:

Digitized by Google

Veterum Carmina

En quibus æternæ damnatur porta gehennæ,
Arxque modo vitæ eſt, quæ fuit ante necis.
De qua ſtelligeri pulſatur janua cœli,
Dum canit angelicis turba beata modis.
De qua colloqueris vero, Benedicte, Tonanti,
Monticola, & ſacri dux eremita chori.
Ad quam tu ex alio monitus cum monte venires,
Per deſerta tibi dux, via, Chriſtus erat.
Namque duos juvenes bivium perduxit ad omne,
Qui te firmarent, quod ſequereris, iter.
Hic quoque viventi juſto prædixerat uni,
His tu parce locis, alter amicus adeſt.
Te ſibi ſublato tenebris mons cælitus horret,
Et pallet nebulis concolor ipſe ſuis.
Mærent, & largis deſtillant fletibus antra,
Cumque ſuis plangunt tabida luſtra feris.
Teque lacus liquidi vero flevere dolore,
Et ſparſit laceras ſilva ſoluta comas.
Credar ficta loqui, niſi te, ne ſolus abires,
Tres ſubito corvi promeruere ſequi.
Hic quoque te clauſum populi te teſte requirunt,
Expectas noctis cum pia feſta ſacræ.
Qui velut orbati raucis tibi flere querelis
Inſtant, convictu quod caruere tuo.
Aſt huc perducto ſcopuli ceſſere, rubique,
Siccaque mirandas terra retexit aquas.
Certum eſt, mons Chriſti quod montibus imperet ipſis,
Subjecit pedibus mons caput ipſe tuis.
Utque ſuum tu ſancte ſuper vegetere cacumen,
Submiſſo tumidam vertice planat humum.
Neve fatigentur qui te, Benedicte, requirunt,
Molliter obliquum flectit ubique latus.
Hunc mons ipſe tamen juſte tibi reddit honorem,
Qui meruit tantum te decorante bonum.

Ari-

De S. P. Benedicto.

Arida tu cujus hortis componis amœnis,
Nudaque fæcundo palmite ſaxa tegis.
Mirantur ſcopuli fruges, & non ſua poma,
Pomiferiſque viret ſilva domata comis.
Sic hominum ſteriles in fructum dirigis actus,
Sicca ſalutari flumine corda rigans.
Sic rogo nunc ſpinas in frugem verte malignas,
Quæ lacerant Marci pectora bruta tui.

Verſus Venerabilis Pauli Diaconi, ac Sacri Caſinenſis Cœnobii Monachi.

ORdiar unde tuos, ſacer o Benedicte, triumphos,
Virtutum cumulos ordiar unde tuos?
Euge beate pater, meritum qui nomine prodis,
Fulgida lux ſæcli, euge beate pater.
Nurſia plaude ſatis tanto ſublimis alumno,
Aſtra ferens mundo, Nurſia plaude ſatis.
O puerile decus tranſcendens moribus ævum,
Exuperanſque ſenes, o puerile decus.
Flos paradiſe tuus deſpexit florida mundi,
Sprevit opus Romæ flos paradiſe tuus.
Vas pedagoga tulit diremptum pectore triſti,
Læta reformatum vas pedagoga tulit.
Urbe vocamen habens tyronem cautibus abdit,
Fert pietatis opem urbe vocamen habens.
Laudibus antra ſonant mortalibus abdita cunctis,
Cognita, Chriſte, tibi laudibus antra ſonant.
Frigora, flabra, nives perſers tribus impiger annis,
Temnis amore Dei frigora, flabra, nives.
Fraus veneranda placet, pietatis furta probantur,
Qua ſacer altus erat, fraus veneranda placet.
Signat adeſſe dapes, agapis ſed lividus obſtat,
Nil minus alma fides ſignat adeſſe dapes.

Digitized by Google

Orgia rite colit, Chriſto qui accommodat aures,
Abſtemium paſcens orgia rite colit.
Pabula grata ferunt avidi ad ſpelæa bubulci,
Pectoribus lætis pabula grata ferunt.
Ignis ab igne perit, lacerant dum viſcera ſentes,
Carneus æthereo ignis ab igne perit.
Peſtis iniqua latens procul eſt deprehenſa ſagaci,
Non tulit arma crucis peſtis iniqua latens.
Lenia flagra vagam ſiſtunt moderamine mentem,
Excludunt peſtem lenia flagra vagam.
Unda perhennis aquæ nativo e marmore manat,
Arida corda rigat unda perhennis aquæ.
Gurgitis ima chalybs capulo divulſe petiſti,
Deſeris alta petens gurgitis ima chalybs.
Juſſa paterna gerens vivit delapſus in æquor,
Vectus aquis currit juſſa paterna gerens.
Præbuit unda viam prompto ad præcepta magiſtri,
Curſori ignaro præbuit unda viam.
Tu quoque parve puer raperis, non occidis undis,
Teſtis ades verax tu quoque parve puer.
Perfida corda gemunt ſtimulis agitata malignis,
Tartareis flammis perfida corda gemunt,
Fert alimenta corax digitis oblata benignis,
Dira procul juſſus fert alimenta corax.
Pectora ſacra dolent inimicum labe peremptum,
Diſcipuli exceſſum pectora ſacra dolent.
Liris amæna petens ducibus comitaris opimis,
Cælitus attraheris Liris amæna petens.
Anguis inique furis luco ſpoliatus & aris,
Amiſſis populis anguis inique furis.
Improbe ſeſſor abi, ſine dentur marmora muris,
Cogeris imperio, improbe ſeſſor abi.
Cernitur ignis edax falſis inſurgere flammis,
Nec tibi gemma micans cernitur ignis edax.

Dum

De S. P. Benedicto.

Dum ſtruitur paries, lacerantur viſcera fratris,
Soſpes adeſt frater, dum ſtruitur paries.
Abdita facta patent, patulo produntur edaces
Muneris accepti, abdita facta patent.
Sæve tyranne, tuæ fruſtrantur retia fraudis,
Fræna capis vitæ, ſævæ tyranne, tuæ.
Mænia celſa, minæ nullo evertentur ab hoſte,
Turbo (ait) allidet mænia celſa, minæ.
Plecteris hoſte gravi, ne lites munus ad aram,
Munera fers aris, plecteris hoſte gravi.
Omnia ſepta gregis præſcitum eſt tradita genti;
Gens eadem reparat omnia ſepta gregis.
Fraudis amice puer ſuado captaris ab hydro,
Hydro non caperis fraudis amice puer.
Mens tumefacta ſile, tacita & ne carpe videntem,
Cuncta patent vati, mens tumefacta ſile.
Pellitur atra fames delatis cælitus eſcis,
Non minus & mentis pellitur atra fames.
Pectora cuncta ſtupent, quod erat ſine corpore præſens,
Quod per viſa monet, pectora cuncta ſtupent.
Vocis ad imperium temnunt dare fræna loquelæ,
E buſtis fugiunt vocis ad imperium,
Vocis ad imperium ſacris non eſſe ſinuntur,
Interſunt ſacris votis ad imperium.
Tellus hiulca ſinu corpus propellit humatum,
Juſſa tenet corpus tellus hiulca ſinu.
Perfidus ille draco mulcet properare fugacem,
Siſtit iter vetitum perfidus ille draco.
Exitiale malum capitis decuſſit honorem,
It procul imperiis exitiale malum.
Fulva metalla pius, nec habet, promittit egenti;
Cælitus excepit fulva metalla pius.
Tu miſerande, cutem variant cui fella colubri,
Incolumen recipis tu miſerande cutem.

Aſpe-

Veterum Carmina

Aſpera ſaxa vitrum rapiunt, nec frangere poſſunt,
 Illæſum ſervant aſpera ſaxa vitrum.
Cur promoconde times ſtillam præbere lecythi?
 Dolia plena fluunt, cur promoconde times?
Unde medela tibi, ſpes eſt cui nulla ſalutis,
 Qui ſemper perimis, unde medela tibi?
Ah lacrymande ſenex hoſtili concidis ictu,
 Ictu ſed reſipis ah lacrymande ſenex.
Barbara lora manus ignaras criminis arcent,
 Sponte ſua fugiunt barbara lora manus.
Ille ſuperbus equo rehiat clamore minaci,
 Stratus humi recubat ille ſuperbus equo.
Colla paterna ferunt extincti viſcera nati,
 Viventem natum colla paterna ferunt.
Omnia vincit amor, vicit ſoror imbre beatum,
 Somnus abeſt oculis, omnia vincit amor.
Simplicitate placens inſtar petit alta columbæ,
 Regna poli penetrat ſimplicitate placens.
O nimis apte Deo, mundus cui panditur omnis,
 Abdita qui luſtras, o nimis apte Deo.
Flammeus orbis habet juſtum ſuper æthera nantem,
 Quem pius uſſit amor flammeus orbis habet.
Ter vocitatus adeſt teſtis novitatis habendus,
 Carus amore patris ter vocitatus adeſt.
Dux bone bella monens exemplis pectora firma,
 Primus in arma ruis dux bone bella monens.
Congrua ſigna dedit vitæ conſortia linquens,
 Ad vitam properans congrua ſigna dedit.
Pſalmicen aſſiduus numquam dabat otia plectro,
 Sacra canens obiit pſalmicen aſſiduus.
Mens quibus una fuit tumulo retinentur eodem,
 Gloria par retinet, mens quibus una fuit.
Splendida viſa via eſt facibus ſtipata coruſcis,
 Qua ſacer aſcendit, ſplendida viſa via eſt.

Ru-

Digitized by Google

De S. P. Benedicto.

Rupea ſepta petens nacta eſt errore ſalutem,
    Errorem evaſit rupea ſepta petens.
Poemata parva dedit famulus pro munere ſupplex,
    Exul, inops, tenuis poemata parva dedit.
Sint (precor) apta tibi cæleſtis tramitis index,
    O Benedicte pater, ſint (precor) apta tibi.

Verſus Sancti Berthari Martyris & Abbatis Sacri Caſinenſis Cœnobii.

O Benedicte pater cunctis celeberrime terris,
    Qui Confeſſorum culmen honoris habes.
Te Deus a puero delegit cælitus, atque
    Inſtituit ſancti germinis eſſe patrem.
Tu via, tu doctor, tu paſtor, doctor eorum,
    Qui ſpretis terris cælica regna petunt.
Tu ſtudiis ſpretis orbis dominam fugis urbem,
    Et Domini ſubdis mitia colla jugo.
Tu precibus vaſis ſolidas fragmenta dirempti,
    Obſequiis veſtris quod pedagoga tulit.
Æs lapidis jactu confregit lividus hoſtis,
    Signa dabat menſæ quod, Benedicte, tuæ.
Sed minime ſolitam tibi tradere deſinit eſcam
    Romanus furtum ſurripiendo pium.
Aptarat Paſchæ ſibi prandia magna Sacerdos,
    Sed tibi cum dapibus deſtinat hunc Dominus.
Tetra nimis volucris ſe nubibus ingerit almis,
    Et viſa quondam concremat in ſpecie.
Sed ſpinis recubans, ſtimulis & punctus earum
    Exuperas vulnus illico vulneribus.
Frangitur arte crucis vas, virus quo latitabat,
    Cum ſignat tanti dextera ſancta patris.
Quem puer a ſanctis precibus niger eliciebat,
    Virga patris ſiſtit, at puer ater abit.

Su-

Veterum Carmina

Suſcipe ſancte pater pueros, quos gloria Romæ
Ad tua tranſmiſit limina mente pia.
Fratribus ipſe tibi commiſſis mons dedit amnem,
Rupe latex exit, cum rogitas Dominum.
Ferrum dum vepres reſecat Gothus inſilit undis,
Sed repetit manicam, mox ubi tinguis aqua.
Aſſiduam Placidus dum ferret gurgitis undam
Obſequiis ſanctis, hunc tulit unda fluens.
Pergito, Maure celer, pater illico providus, inquit,
Jam trahit unda laci præcipitem puerum.
Juſſa ferens properat ſuper undas, atque recurrit
Erepto puero ceu per humum gradiens.
Promptus ad omne malum dira cum mente Sacerdos
Toxica quæ miſit, ſuſtulit ipſe pius.
Corruit ecce miſer collapſi culmine tecti,
Corpore confractus tartara ſæva petit.
Talia diſcipulus dum perfert nuncia curſim,
Concuſſit ſancti intima corda patris.
Cui pater indixit ob talis gaudia mortis,
Ut lacrymis culpam defleat ipſe ſuam.
Panem tollit avis, quo virus texerat ille,
Abdit ubi nullus cernere poſſit homo.
Tu meritis almis falſorum templa deorum
Vertiſti in laudem ſancte decuſque Dei.
Perfidus ille draco cœlo demerſus ab alto
In famulum Chriſti talia dicta dabat:
Quid maledicte tibi mecum eſt? Quid non benedicte,
Quid me perſequeris? quid mea jura rapis?
Stat lapis immotus nimio præ pondere fixus,
Quem reſidens hoſtis impius ille premit.
Tollitur at ſubito Benedicti voce beati,
Itque procul ſeſſor; poſtmodo flamma vorax
Fratribus eſt falſo comburere viſa culinam,
At pater ut venit viſio falſa fugit.

At-

Digitized by Google

De S. P. Benedicto.

Attritus puer eſt murali mole peremptus,
Suſcitat hunc, & opus juſſit adire pater.
Non licitis domibus ſumpſerunt prandia fratres,
Abſens ipſe videt, arguit & nimium.
Hoſpes adeſt ſimplex, quem cæpit calle viator,
Mollibus in pratis prandia quo facerent.
Arguit hunc paſtor tali pro crimine ſanctus,
Mox veniam culpæ expetit ille ſuæ.
Veſte venit ſplendens fraudantis Riggo tyranni,
Non tua ſunt (inquit) quæ tua dorſa gerunt.
Totila rex veniens proſtrato corpore ſupplex
Præſcivit vitæ commoda cuncta ſuæ.
Bis quinis annis retinebis culmina regni,
Mors his ſuccedet, moribus eſto pius.
Deſinit in factis ex tunc exiſtere ſævus,
Blandior & vixit tempora dicta ſibi.
Excole Roma tuo vatem de dogmate doctum,
Qui tua per ſæclum mænia ſalva canit.
Turbinibus multis quaſſaberis, atque coruſcis,
Hoſtis nullus erit, qui tua ſepta ruat.
Non eſcam carnis, ſed nec ſacri ordinis umquam
Excipias quæſtum, Clerice, ſalvus eris.
Hæc ubi contempſit, repetit quem liquerat olim,
Ut vates ſanctus dixerat, ille malus.
Omnia quæ monachis congeſſi munera Chriſti,
Gentibus arbitrio tradita ſunt Domini.
Vix potui precibus Dominum exorare ſupernum,
Ut mihi vel fratrum cederet ipſe animas.
Poſt Langobardi venientes tempore noctis,
Cætera vaſtantes cuncta tulere ſimul.
Æterni regis ſalvati munere fratres,
Illo nec lædi de grege quis potuit.
Vas retinet ſerpens abſconſum tramite, fili,
Admoneo, ut ſolers vergere mox ſtudeas.

Veterum Carmina

Mappula teſtis adeſt, retines quam pectore frater,
 Cur ingreſſa tuum nequitia eſt gremium?
Non clam patre manent quæ volvit mente ſuperba,
 Præbens cænanti luminis officium.
Fratres en hodie nullus eſt panis in arcis,
 Cras pietate Dei copia panis erit.
His ſacra cænobii ſatagunt qui ponere ſepta,
 Aſtans per ſomnum condere monſtrat opus.
Redduntur tumulis per eum, quæ more ſorores
 In famulum Chriſti noxia verba dabant.
Patria namque puer dum tecta requirit anhele,
 Injuſſus pergens mortuus eſt inibi.
Hujus non potuit corpus retinere ſepulchrum,
 Sed Domini famulus id ſociavit humo.
Ore patens anguis medio ſtat calle malignus,
 Quem cernens frater ad pia ſepta redit.
Ruſticus adveniens variato corpore lepra,
 Abſceſſit ſoſpes glorificando Deum.
Aurea dona patri funduntur cælitus almo,
 Ut poſcens habeat debita quo redigat.
Vas vitreum montis per ſaxa patentia merſum,
 Illæſum perſtat omne tenens oleum.
Poſt Dominum rogitans dolium complevit olivo,
 Ante quod hoc penitus extiterat vacuum.
Quo properas Sathana medicorum more paratus?
 Vado tuis potum fratribus ut tribuam.
Dextera ſancta ſenem mox illo dæmone captum
 Salvavit patris, depulit & Sathanam.
Ruſticus adveniens conſtrictus brachia loris,
 Ad primum ſancti ſolvitur intuitum.
Poſtulat orbatus reddi ſibi pignus ademptum,
 Cum rogitat ſanctus, vita redit puero.
Sacra ſoror precibus diffundens cælitus imbrem,
 Invitum ſecum nocte patrem retinet.

Poſt

Digitized by Google

De S. P. Benedicto.

Poſt triduum frater gaudens de morte ſororis,
Hanc tumulat proprio protinus in tumulo.
Unica ſanctorum retinet nunc arca duorum
Pignera, quos æthre junxit humoque Deus.
Sanctorum hic animas ad cæli gaudia cernit,
Angelicis ulnis hoc per inane vehi.
Totus adeſt orbis collectus ſolis ad inſtar,
Tempore ſub noctis viſibus, alme, tuis.
Teſtis adeſt meriti Servandus nomine magni,
Lucis enim partem cernit & ipſe ſimul.
Regula ſancte pater multos tua mittit ad æthram
Conſocians ſanctis hos ſuper aſtra choris.
Flans Domini famulus animam cum laudibus almis,
Mirifica ſcala ſcandit ad aſtra poli.
Pallia ſternuntur divino lumine mixta,
Qua ſacer aſcendit ad ſacra regna pater.
Perdita mente manens mulier per devia ſcandens,
Hujus ſalva fuit cum ſpecus introiit.
Plurima ſigna tibi conceſſit gratia Chriſti,
O pater inſignis, quæ modo nemo ſciat.
Sed quæ noſcuntur per mundi climata, quiſnam
Ut tua facta decet, pangere rite queat?
Quæque micant hodie ſignorum facta priorum
Temporibus noſtris geſta tuis meritis.
Andreas etenim germano germine cretus
Rectis non umquam greſſibus ire valens;
Mox ut promeruit tua limina tangere templi,
Extemplo ſoſpes dante fuit Domino.
Alter ſerpentem geſtans in ventre latentem,
Obſtaclum nullum cui medicina dabat.
Concitus huc ſcandens pietatis munera poſcens,
Ad tua pervenit limina ſancta pater.
Evomito colubro poſtquam tua limina ſcandit
Perſtitit incolumis hic pietate Dei.

Digitized by Google

Veterum Carmina

Corpore contractus, genuit quem Cimbrica tellus,
Erigitur templi David in æde tui.
Eja beate Pater, tanto qui lumine præſtas,
Sedibus in ſuperis tanta pietate coruſcus,
Eſto tuis famulis cuſtos, doctorque per ævum
Ne lupus inſidians, hoſtis ne peſtifer umquam
De grege tollat ovem, proprio quam jure retentas.
Bertariumque tuum famulum me protege, ſerva,
Ductus amore tuo, qui carmina vilia prompſi.
Hoc Deus omnipotens, ſalvos qui vis fore cunctos,
Qui Cælum, terramque regis per ſæcula, Chriſte.
Des petimus, nec non Paradiſi gaudia nobis
Omnibus & veras tribuas ſine fine coronas.

Verſus Adhelmi Abbatis, & Epiſcopi Schireburnenſis.

IMperium mundi florens cum Roma teneret,
Atque gubernaret regnorum ſceptra per orbem:
Temporibus Fauſtus Benedictus claruit iſdem,
Quem Deus Auſoniæ clemens indulſerat author,
Et populum Domini vadentem tramite recto
Ferret ad æterni ductor veſtigia regni,
Quem prius abſtruſus ſævis anfractibus error
Truſit ad inferni torrentis tartara nigra.
Sæpe tyrannorum contrivit templa priorum,
Qui dominum lucis tenebroſo corde negabant.
Mox illic figens victricia ſigna ſalutis,
Sic miles Chriſti devicto hoſte triumphat,
Baſilicam Domino reſtaurans æde renata.
Quis modus, aut numerus, vel certe calculus index
Explanare valet virtutes illius amplas?
Quæ modulum & numerum excedunt pro mole ſuorum.
Namque cadaveribus reddebat lumina functis,
Quæ gelidæ mortis per vim fortuna necarat.

Au-

De S. P. Benedicto.

Auditu ſurdos, & claudos greſſibus ornat:
Ægrotos vegetat, membrorum viribus augens:
Dæmonis arma fugans, nec non & ſpicula frangens,
Hoſtibus exploſis reſtaurat ſaucia corda.
Iſte capiſterium rimarum fragmine ruptum
Innovat, ut nutrix lacrymarum flumina fudit.
Peſtiferum calicem, qui mortis pocula vinxit,
Porrecta rupit dextra per ſigna ſalutis.
Sic etiam calibem prolapſum gurgite Gothi
Ad proprios iterum juſſit remeare lacertos.
Primo qui ſtatuit noſtræ certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant Cœnobia normam.
Quoque modo properet directo tramite ſanctus,
Ad ſuperum ſcandens cœlorum culmina cultor.
Cujus præclatam pandens ab origine vitam
Gregorius præſul chartis deſcripſerat olim,
Donec æthercam felix migraret in arcem.
Hujus alumnorum numero glomerantur ovantes,
Quos gerit in gremio fæcunda Britannia cives.
A quo jam nobis Baptiſmi gratia fluxit,
Atque magiſtrorum veneranda caterva cucurrit.

Hymnus Pauli Diaconi.

FRatres alacri pectore
Venite concentu pari:
Fruamur hujus inclytæ
Feſtivitatis gaudiis.
Hac Benedictus aurea
Oſtenſor arcti tramitis,
Ad regna conſcendit Pater
Captans laborum præmia.
Effulſit ut ſydus novum,
Mundana pellens nubila:

Reſplen-

Reſplenduit prodigiis
Ventura ſæclo præcinens.
Laturus eſum plurimis
Sanis, reformat vaſculum,
Arctumque dans ergaſtulum,
Extinxit ignes ignibus.
Fregit veneni bajulam
Crucis per arma cymbiam:
Coercuit mentem vagam
Leni flagello corporis.
Funduntur amnes rupibus,
Redit calybs e gurgite:
Hoſtem ruina conterit,
Cedit fremens leo grave.
Immota fit moles levis,
Rogus migrat fantaſticus:
Fractum reviſit ſoſpitas,
Exceſſus abſentum patet.
Rector vafer deprenderis,
Inique poſſeſſor fugis:
Futura prænoſcimini,
Arcana cor non contegit.
Fundatur ædes eminus,
Tellus vomit cadavera:
Dracone frænatur fugax,
Æther pluit numiſmata.
Vitrum reſiſtit cautibus,
Manant olivo dolia:
Vinctum reſolvit viſio,
Vitam receptant funera.
Tanti poteſtas luminis
Voto ſororis vincitur:
Quo plus amat quis, plus valet,
Errare quam cernit polo.

Non

De S. P. Benedicto.

Non ante ſæclis cognitum
Noctu jubar effulgurat;
Quo totus orbis cernitur,
Flammiſque ſubvehi pius.
Hæc inter inſtar nectaris,
Miranda plectro claruit:
Nam pinxit apte lineam
Vitæ ſacræ ſequacibus.
Jam dux alumni ſat potens,
Adſis gregis ſuſpiriis,
Gliſcat bonis, Hydrum cavens.
Sit callis ut ſequax tui.

Hymni qui Berthario Abbati, & Martyri tribuuntur.

AD NOCTURNOS.

SAncta lux fratres hodierna poſcit
Guttura in ſacros perſonemus hymnos:
Sic ut illiſam bona vox per ædem
Læta reſultet.
Nam gregis magnus patriarcha noſtri
Ille ſe nobis Benedictus offert,
Feſta ſunt cujus celebranda ſacro
Annua ritu.
Ille nimirum Benedictus eſt, quem
Acta caſuro per iniqua mundo
Subdidit tamquam ſolidam Creator
Ære columnam.
Bella per totum Latium fremebant
Hinc fames, illinc fera ſæviebat
Peſtis, horrebat furor Arrianæ
Tabis ubique.

Ecce dum tantis agitata monſtris
    Nocte ſub tellus ſcelerum profunda
    Mergitur fæde, canis in triſaucis
        Ora dehiſcens.
Naſcitur cæco Benedictus orbi,
    Mox ſalutaris referens fugatis
    Nubibus lucem per aperta cæli
        Aſtra ſereni.
Qualis eſt Titan, ubi poſt dierum
    Plurium nimbos radioſus ore
    Prodit illuſtri, mare, terra, cœlum,
        Ridet, & æther.
Quippe vix natus dubia haud futura
    Signa virtutis dedit in puello
    Præferens mores tenero ſeniles,
        Intus & extra.
Nurſiæ claros habuit parentes,
    A quibus Romam ſacra literarum
    Miſſus exhauſit pia temperato
        Sobrius ore.
Nam vias mundi laqueis refertas
    Plurimis cernens, barathrumque præceps
    Ne per abruptum rueret, repreſſit
        Cum pede vocem.
Sicut imprudens colubrum viator
    Callens æſtiva tumidum ſub umbra
    Colligit ſeſe, fugiens triſulcæ
        Sibila linguæ.
Ergo mox ultro rudis & ſciènter
    Neſcius Romam, patriam, parentes
    Militaturus Domino reliquit
        Scilicet uni.
Et licet vix dum puer attigiſſet
    Puberes annos: nec adhuc recepto

Mem-

Digitized by Google

De S. P. Benedicto.

Membra cremento ſua ferre pondus
Grande daretur.
Attamen non eſt veritus, ſed annis
Cæpit imprimis adolere Chriſto;
Prorſus innectens juga molliori
Lenia collo.
Effidem ergo fugiens probavit
Signa primævæ nova ſanctitatis,
Arguens quanti meriti futurus
Eſſet ad annos,
Namque nutrici nimium querenti
Fictilem vannum cecidiſſe partes
In duas fiſſum precis integravit
Arte potentis.
Qui tholo appenſus popularis ædis
Liquit æternæ monumenta famæ,
Quam cavens ipſos nemorum receſſus
Solus adivit.
Laus decus, virtus, honor, & perennis
Gloria excelſo referenda Patri,
Et ſimul Verbo, ſimul & fluenti
Semper Amori.

AD PRIMAM.

Eſt locus denis quater urbe diſtans
Millibus, lympha riguus nitenti
(Sublacum dicunt) ubi de lacuna
Profluit amnis.
Hic ſpecum nactus prope ſub cacumen
Montis extremum, ſua ſigna figens,
Bella tris totos ſtygiis per annos
Hoſtibus egit.

Hic precum degens tuus offerebat
Dona ſanctarum tibi, Chriſte, miles,
Aureas thuris phialas habendo
Semper odori.
Hiſpidus, ſentus, macer, obſoletus,
Inter errabat latebras ferarum
Saxa præruptæ per acuta rupis
Cernuus uſque.
Nulla nix illum domuit, nec eurus,
Non fames, æſtus, ſitis, aut cubile
Saxeum vicit, neque diſciplinæ,
Flagra ſeveræ.
Semper accinctus vigil excubabat,
Semper indutus galeam, gerebat
Lanceam contra fera rugientis
Ora leonis.
Nemo, Romanus niſi ſolus, illum
Norat errantem, ſibique petenti
Antra cæptorum fuerat bonorum
Suaſor amicus.
Hic quoque inſigni charitate fulgens
De ſuo certis dabat in diebus
Ore ſubtractas epulas latenti
Clam Benedicto.
Sed quia exeſis aditum negabat
Mons inacceſſus ſcopulis, ſuperne
Norat in reſti ceterem ligatam
Ferre deorſum.
Quam ſibi allatam ſonus admonebat
Clarus arguti bene tintinabli,
Sed bonum tantæ charitatis hoſtis
Ferre nequivit.
Illico jactu lapidis potenti
Illud effregit, tamen erogare

Vir

De S. P. Benedicto.

Vir Dei pernix ſolitas nequaquam
Deſiit eſcas.
Interim ne ſub modio lateret
Clara virtutum radiis corona;
Fama vicinas hominis vagari
Cœpit ad oras.
Nam Sacerdotem Dominus verendum;
Qui dapes lautas ſibi præpararat
Luce paſchali, monuit ſub hujus
Verba tenoris.
Tu reſurgenti mihi gratularis,
Et cibos pingues tibi condidiſti;
At meus ſervus ſub iniquiore
Eſurit antro.
I, fer hos illi macie pereſo:
Dixit, at parens Domino Sacerdos
Scrupeas rupes, juga confragoſa,
Tranſit & amnes.
In ſpecu tandem reficit repertum
Inquiens, eſcas hodie hoſpitales
Sume, quas juſſus tibi ſum labore
Ferre moleſto.
Forte ſi neſcis hodierna lucis
Feſta paſchalis peraguntur, eja,
Sume: vix tandem bene conſulenti
Ceſſit amico.
Inde paſtores fructicoſa nacti
Inter errantem pecudem putarant
Eſſe pellitam, coluere vero
Mox ſibi notum.
Jam frequens ad ſe populus venire,
Jam procuratas ſibi ferre cœnas,
Cui ſalutaris dabat ille contra
Pabula vitæ.

C 2 Voce

Digitized by Google

Voce ſublimi modulemur omnes
Gloriam Patri, Genito increato,
Pneumati Sancto ſolio ſedenti
Semper eodem.

AD TERTIAM.

INter hæc autem furioſus hoſtis
Bella molitur, merulamque pullam
Mentiens roſtro gravis ora circum
Clangit & alis.
Quæ ſtatim ſigno crucis evolavit,
Sed voluptatis tamen illa tantum
Fudit in totas hominis venenum
Dulce medullas.
Arma ceſſurus prope ſtratus hoſte
Ut foret, ni mox in agone duro
Elaborantem pia ſublevaſſet
Dextera Chriſti.
Namque ſe nudum dedit inter acres
Plurima vepres cruce ſauciandum,
Et per urentes nimium rotandum
Mordicus herbas.
Sic cutem totus lacer, & cruore
Membra perfuſus ſacra virginali
Diluit quicquid Venus inquinarat
Oſſibus hauſta.
Pulſus hoc pacto furor eſt, & ignis,
Et foris ſeſe truculenter ultus
Expiatricem ſceleris medelam
Admovet intus.
Plaga ſic plagam domat, ignis ignem,
Sanguinem ſanguis, dolor & dolorem,

De S. P. Benedicto.

Cedit illuſor vafer a novello
Milite luſus.
Ergo proſtrati ſpoliator hoſtis
Liber evaſit, veluti novale
Erutis ſpinis ſegetes daturum
Pingue feraces.
Fama dum vero patris alma tanti
Longius penna graditur volucri,
Forte cœnobi ſenior propinqui
Interit Abbas.
Cujus ut partes obeat gerendas
Poſcitur cætu Benedictus omni,
Et tot invitus licet acquieſcit
Fratribus unus.
Ante teſtatus male convenire
Moribus mores, neque ſe probare
Qua forent illi prius inſtituti
Religionem.
Præſes effectus moderator intra
Doctus arcebat petulantiores
Regulam, duris cohibens lupatis
Ora vagantum.
Id quod indigne nimium ferentes
Complices fratres, neque enim virorum
Improbis unquam ſolet eſſe ſuavis
Vita bonorum.
Igne ſuccenſi ſtigyo (nephandum
Proh ſcelus) ſancto ſibi quem parenti
Legerant, nigri mala miſcuere
Vaſa veneni.
Quæ Redemptoris quia dæmon intus
Deliteſcebat, neque ſignum
Ferre, ſed ſaxo crepuere tanquam
Icta potenti.

Hoc ſimul cernens, ſimul obſtupeſcens
Vidit e quanto Dominus periclo
Se redemiſſet Benedictus, & ſic
Fratribus inquit.
Donet indulgens veniam Creator
Omnibus vobis, mihi potionem
Cur propinaſtis ſtygiæ ferentem
Virus echidnæ?
Nonne prædixi, quia noſtra veſtræ
Vita, nec mores bene convenirent,
Præſulem veſtris alium parate
Moribus aptum.
Dixit & vaſti ſibi gratioſa
Antra deſerti petiit, futurus
In Creatoris facie ſuperni
Se penes unum.
Quippe qui ſemper Domini ſubeſſe
Quicquid obtutu faceret putabat,
Lubrici explorans prope cogitatus
Cordis ad unguem.
Ne quid inſanos maculæ latenter
Reperet ſenſus, ſua dedicata
Templa ne Chriſto ferus occuparet
Fraudibus hoſtis.
Sit Patri, Nato, Digito ſuperno
Æqua laus, æquum decus, æqua virtus,
Æqua majeſtas, honor æquus, æqua
Gloria cœlo.

AD

De S. P. Benedicto.

AD SEXTAM.

ERgo dum degit Domini vir antro
Solus in ſolo, minus eſſe ſolum
Paſſus eſt Chriſtus, quia lux tenebras
Neſcit opacas.
Namque fragranti ſub odore plures
Blanda laturos juga congregarat;
Clauſtra quis ſtruxit duodena certis
Recta magiſtris.
Quin & huic Roma proceres ab urbe
Militaturos tibi, Chriſte, multi
Inter hos Maurum, Placidumque natos
Ultro tulerunt.
Frater in cella fuit unus autem
Qui recens ſtructa precibus vàcare
Huc ſtatis illuc vagus abnuebat
Mente maligna.
Hunc ſimul blande ſimul & ſevere
Sæpe correctum, tantum obſtinatum
Extrahi cella Benedictus atro
Vidit ab hoſte.
Vidit, & Mauro tribuit videndum;
Quo ſtatim pulſo ferula coegit
Fratris in ſanum rediiſſe ſenſum
Lubrica corda.
Sed quia in ſinglis nimis immorari
Eſſet ambages ſtruere imperitas;
Mira ſuccincto numeroſa verſu
Stringere nitar.
Fabor in primis veluti ſub uſum
Juſſeris fratrum, Benedicte, rupem

Ari-

Veterum Carmina

Aridam limphas dare copioſas
Fonte perenni,
Utque falcaſtrum ſub aquas profundæ
Perperam lapſum tumidas lacunæ
In ſuum ſolo capulum redire
Feceris ore.
Ut tuo Maurus monitu ſecutum
Vaſa de fluctu Placidum tumenti
Duxerit currens ſuper alta ſicco
Æquora greſſu.
Corvus ut panem nece delibutum
Invidi munus tulerit, jubente
Te, ſub ignotas ubi nullus oras
Vivere fertur.
Quid? quod extinctu lachrymaris hoſtem
Obrutum caſu veteris ſolari,
Et jubes Maurum nece gratulantem
Pendere pœnas.
Hæc parem divis faciunt ſupremis
Te, Petro cum per vada curris, hoſtem
Flendo Davidi, tibi quando corvus
Paret Heliæo
Alter es autem, capulum ſubintrat
Quando falx ipſis ſub aquis, Heliſeus,
Moyſes, cum deficiente rupe,
Elicis undas.
Oppidum poſt hæc adiens Caſinum
Phana ſubvertis, ſtatuas & aras,
Subruis lucos per inane Phæbo
Vulgus adultos.
Quod ferens ægre tibi bella teter
Dæmon indicit, pice fultus atra
Unguibus, flammis, oculis, tremendo
Ingruit ore.

Quid

De S. P. Benedicto.

Quid tibi mecum maledicte ? Cur vim
Non laceſſitus mihi ſævus infers?
O ter ac ultra maledicte falſum
Nomen adepte.
Hos tot & tantos pateris furores
Neſcius tergum dare te relicto,
Donec ad belli rude militonum
Tenderet agmen.
Temptat hos ſaxum cupidos levare;
Quod premens nixu ſuper inſidebat,
Nec ſolo fratrum ſinit amovere
Viribus ullis.
Tu tua vero prece ponderoſum
Inde propellens colubrum repente
Illud ad cellas facis erigendas
Tollier apte.
Solvis incenſam ſtygiis culinam
Ignibus, flammas oculis inanes
Indicans, pulſa ſua conſecutis
Lumina nocte.
Noſtra vox hymnis ſonet inquietis
Gloriam Patri meritam ſuperno;
Filius cum quo dominatur, atque
Spiritus almus.

AD NONAM.

ADde quod fratrem paries ſub alta
Triverat totum penitus ruina,
Hunc pia mox tu prece ſuſcitaſti
Lucis in oras.
Quid quod humani penetrale cordis
Omne rimaris ? procul alta noſti;

D Et

Es futurorum ſcius ore vates
Vera canenti.
Tu vides abſens, quibus hoſpitati
Ædibus fratres, quibus & quot eſcis
Paverint ventres, biberit quot unus
Pocula quiſque.
Tu vides abſens ſolitum venire
Ad tuam ſicco benedictionem
Ore, conveſci dapibus maligni
Fraude colubri.
Tu vides ſervum ſub adulterina
Regis ornatum trabea Totillæ,
Noſcis, & notos monitu benigno
Arguis ambos.
Arguis regem Latia madentem
Cæde, Romani bibulum cruoris,
Regna Tarpejæ fore rupis illi
Subdita dicens.
Liberas idem face quos Erinnis
Tetra lymphatos agit inquieta,
Cernis inſtantes operum ruinas
Eſſe tuorum.
Hoc inexpletum lachrymaris, & vix
A Deo exoras, ut ab imminenti
Clade ſævorum tua barbarorum
Libera plebs ſit.
Te vicem Pauli tenuiſſe conſtat,
Nave qui fracta tumidis in undis
Omnibus certam ſociis ſalutem
Obtinet orans.
Tu vides abſens Hilaratus unum
Abdat ex vaſis puer ut duobus
Nobilis vini foliis ſub altis
Inter eundum.

Abdi-

De S. P. Benedicto.

Abdito edicis labia admovere
Horreat, quod cum faceret, tumentis
Vidit ex illo maculoſa labi
Colla draconis.

Detegis mappas avidi latentes
In ſinu fratris, tua cogitatus
Fratris elatos acies tenentis
Lumina cernit.

Cælitus miſſa querulos ſarina
Præ fame fratres alis, aſſerendo
Uſque fidendum Domino vel atræ
Tempore ſortis.

Ex tuis abſens duo per quietem
Tecta ſtructuros nova propter Anxur
Admones, ſacras ubi metiantur
Surgere cellas.

Conſtat & binas monachas fuiſſe
In ſuum lingua tumidas procaci
Præſidem, quas mors nimis arrogantes
Juſta necavit.

Has Sacerdotem veritas tonantem,
Eſte de phanis procul o prophani,
Intuebatur pia de ſepulchris
Cedere nutrix.

Pro quibus ſacrum tibi juſſa munus
Offerens aris, animas earum
Vidit haud ultra tenues ab imis
Surgere buſtis.

Gloria ſanctæ pia Trinitati
Lingua concentu reſonet canoro,
Qui Deus lapſu peritura nullo
Sæcula regat.

AD VESPERAS.

MOrs tuæ expertes benedictionis
Arripit, tellus rejicit, rejectos
Suſcipit, poſtquam ſacra texit illas
Hoſtia Chriſti.
Clauſtra linquenti tua juſſa præter,
Et reviſenti patrios penates
Se voraturum patulo draconem
Objicit ore.
Cujus ad vaſtos trepidans hiatus
Ante neglectas repetivit ædes,
Pollicens poſt hac fore contumacem
Se tibi numquam.
Tu venenatos, elephanticoſque,
Tu fameſcentes dape, ſanitate
Liberas, miſſo quoque debitorem
Cælitus auro.
Vitreum tu vas olei puſilli
Juſſeras ſicut, minus erogatum
Integrum ſervas licet inter aſpra
Saxa rotatum.
Urceum orando facis ex inani
Palladis pingui tumidum liquore,
Et redundanti ſola diluentem
Subdita fonte.
Dæmonem corpus ſenis obſidentem,
Atque humi ſtratum crucibus prementem
Non reverſurum colapho tenebras
Pellis ad imas.
Quid loquar Zallam rabie furentem
Vottica, plenum luis Arrianæ,

Digitized by Google

De S. P. Benedicto.

Inque bacchantem gladio fideles
Quoſque cruento?

Hic inexhauſtis aliena ſemper
Faucibus mandens cruce multiformi
Ruſticum angebat ferus obligatis
Pone lacertis.

Quem vel obtutu pius exſolutum
Liberas ſolo, tua tanta virtus,
Supplicem Gotthum tibi fulminanti
Reddis ab ira.

Non omittendus puer eſt, in auras
Quem ſemel functum revocas ſecundas,
Jura naturæ ſuperata mundus
Obſtupet omnis.

Sed tibi quamquam famulantur aer,
Ignis & tellus, mare, vita, lethum,
Eſt tamen juſte tibi quod negarit
Gratia Chriſti.

Nam repentino pluviæ tumultu
Juſta germanæ negat, ut negare
Poſſis, oranti ſacra ſpiritalis
Pabula vitæ.

Nocte ſic tota ſuperis viciſſim
Gaudiis fratrem ſoror, & ſororem
Frater invitus, Paracletus autem
Paſcit utrumque.

Vecta Phebæis aderat quadrigis
Terna lux, cum mox animam ſororis
Cernis in puræ ſpeciem columbæ
Aſtra ſubire.

Cujus inſigni vice gratulatus
Gratias ſummo meritas tonanti
Per ſacros hymnos agis, & ſacrarum
Cantica laudum.

Præ-

Digitized by Google

Præcipis ſanctum pius hinc cadaver
Advehi , advectum tumulo recondi,
Condito , ritu ſacra Chriſtiano
Debita ſolvi .
Una perſonis Deitas , & unum
In tribus Numen viget & poteſtas
Una , cui ſurſum datur & deorſum
Gloria quanta eſt .

AD COMPLETORIUM

NEc ſatis quanquam mea ruſticana
Muſa , miraclum reticebit ingens,
Quod tibi omnis media refulſit
Noctis in umbra.
Quippe te tota ſuper elevatus
Mente laxatis animæ quadrigis
In Deum lucem tenebras fugantem
Cernis opacas.
Quæ die multo potior ſerena
Obtulit tanquam radio ſub uno
Solis incluſum tibi tranſeunter
Cernere mundum.
Dumque perluſtras acie coruſcum
Irrepercuſſa jubar , intueris
Urbis inſignem Capuæ parentem,
Æthere in alto.
Angelos illum niveis in alis
Ignis in ſphæra ſuper eminentem
Regiam cœli , thalamumque celſi
Ferre tonantis.
Multa geſtorum memoranda dictu
Dive vel prudens taceo tuorum,

Nam

Nam tui extremam properamus horam
Scribere fati.
Ergo poſt ſcriptas Benedicte leges
Fratribus ſacris dapibus refertas
Fata præſagis tua plenus almo
Pneumate mentem.
Ante ſex ſoles obitus ſupremi,
Et ſepulchrales aperis latebras,
Et ſimul magno quateris tremore
Febris anhelæ.
Cumque ſæviret magis ingraveſcens
Languor, in cellam precibus ſcatentem
Ferris, & ſacro tua commeatu
Pectora munis.
Inde fraternis fragiles lacertis
Sublevas artus, oculoſque ſurſum
Fixus, intendis duplices in altum
Æthera palmas.
Atque ita orando redimitus omni
Dote virtutum grave diſſolutus
Ponis ergaſtlum, ſubitoque ſcandis
Aſtra volatu.
Hoc duo fratres, procul alter, alter
Vidit in cella radiare ſtratum
Regio a terris iter apparatu
Solis ad ortum.
Et relevatum patris eſſe divi,
Per quod acceptus ſupero tonanti
Lætus aſcenſu roſeos ſupino
Scanderet axes.
Hinc tui magno gregis ejulatu
Ante curſoris tumularis æde,
Æde mendacis ſub honore Phœbi
Ante dicata.

Oſſa

Oſſa germanæ tua copulantur
Oſſibus, buſto quoniam ſub uno
Par erat condi, quibus una Chriſto
Mens fuit uni.
Ultimo nobis referenda calce
Acta veſano mulier cerebro,
Quæ tuo certam reſipivit antro
Nacta ſalutem.
Fert Pater, Verbum, Paracletus uno
In throno ſceptrum Deus unus unum.
Demus huic ſoli ſuperis in aſtris
Gloria quanta eſt.

P R E C E S.

ERgo divinis modo te fruentem
Gaudiis, omnes genibus precamur
Supplices flexis Pater, alme ſanctam,
Porrige dextram.
Porrige o dextram Pater alme ſanctam
Ut tuo ductu ſuper elevati
Demus hæc peſſum bona tranſeuntis
Lubrica mundi.
Abſit a nobis gula, livor, ira,
Ambitus, torpor, venus, & cupido,
Illicit quicquid procul in remotas
Exulet oras.
Adſit his victis charitas inurens
Ut pii, lenes, humiles, pudici,
Sobrii ſimus, vegetiſque ſomno
Semper abacto.
Fac uti te qua licet æmulati
Carnis hoſtiles ſuperemus æſtus

Et

Et poteſtates varii doloſis
Artibus orci.
Fac Redemptorem cruce compluentem
De ſua nobis roſeos cruores
Ferre potandos avido refertis
Ore medullis.
Hi ſitim ſedent, & inebriatos
Illius ſancto repleant amore,
Nil ut omnino cupiamus unum
Præter Jeſum.
Præter hunc unum nihil appetamus,
Unus hic noſter ſit amor, ſit ardor;
Sit quies, ſit pax, ſit ahena noſtræ
Anchora navis.
Sit diu optatæ ſtatio ſalutis
Jugis, in qua nos velut expediti
Aucupum tricis, lachrymis metamus
Gaudia pulſis.
Sed quia acclivi nimis hæc crepido
Surgit aſcenſu, Pater alme nobis
Filiis in te genitis potentem
Porrige dextram.
Nos uti ſub te duce militantes
Te triumphantem comitemur illuc;
Rex ubi regum ſolio coruſcans
Fulminat alto.
Gloriam Patri dare ſingularem
Certet arguta chorus omnis ode,
Et Redemptori, ſcatet unde jugis
Ardor amoris. Amen.

Digitized by Google

Alius Hymnus.

DIve, cui terris ſuperas relictis
Contigit ſedes habitare cœli,
Supplices quæ te precibus rogamus,
Mitior audi.
Tu puer quondam procul in remotis
Rupibus vitam patiens acerbam
Ducis, & denſas colis uſque ſylvas
More ferarum.
Suſtinet victus tenuis juventam,
Fons ſitim pellit, pecudumque veſtis
Tegmen, atque erras ovium magiſtros
Squallidus inter.
Pluma non corpus reficit, ſed agris
Sponte dumoſis recubas ſilenti
Nocte, non frigus metuens, nec acris
Flamina venti.
Hic ubi tentans animum voluptas
Nititur Chriſti famulum doloris
Artibus furtim ſuperare, vincis
Tu tamen illam.
Ergo longinquas volitat per urbes
Fama, concurrit populus frequenſque
Audit intentus, cupiduſque ſacro
Pendet ab ore.
Quos iter vitæ facilis beatæ
Edoces, paret bonus omnis atque
Legibus ſanctis, tibi ſacra paſſim
Templa dicantur.
Pax ubi ſemper probitaſque regnat
Et ſacer cultus viget, unde gentes

No-

Nomen extollunt, celebrant, adorant,
Votaque ſolvunt.
Quare age exaudi Benedicte, quæ te
Poſcimus, tantis viden ut procellis
Vita jactatur, mala tanta pelle,
Dive, precamur.
Sit ſalus bellis procul & fugatis,
Fertilis fruges ferat annus, hora
Cumque poſtrema adveniet, benignus
Ilicet adſis.
Lætus & ducas, ubi regnat alto
Cum Patre Chriſtus ſimul ore flagrans,
Spiritus ſemper dominans in uno
Terna poteſtas.

Hymnus Alphani ex Monacho Caſinenſi Archiepiſcopi Salernitani.

AUreo ſolis radio perennis
Hac die totus decoratur orbis,
Ut tuis felix, Benedicte, feſtis
Clarior adſit.
Bella mirandis opulenta factis,
Signa virtutum, ſpeciale munus
Regulæ præbent, tibi ſempiterno
Tempore laudes.
Claret ætatis teneris ab annis
Moribus vitam quibus ordinaſti,
Cum voluptati dederis nec ulli
Intima cordis.
Deditur tanto prius id triumpho,
Vas quidem fractum muliebre damnum,
Quod puer ſanum prece lachrymoſa
Reſtituiſti.

Exhibens ſanctum celer inſtitutum
Artius, ſummum, ſtudiis relictis
Rebus & patris fugis, & ſalubri
Veſte bearis.
Foveras antro tua membra parvo
Menſibus verſis novies quaternis,
Quo manens nullis hominum, ſed uni
Notus haberis.
Grata divino tibi feſta nutu
Conferunt paſtum, latitans videris,
Fama fit, vulnus perit omne mentis
Vulnere carnis.
Hinc crucis ſignum vitreum veneni
Poculum frangit, vaga mens fugatur
Virgulæ tactu, fluit e cavato
Marmore lympha.
Inſilit ferrum capulo reverſum,
Mollis humanos regit unda paſſus,
Qua tuam raptus Placidus melotem
Cernere fertur.
Clarus horrendam tulit ales eſcam,
Fles nimis ſontis nece motus hoſtis,
Et loco cedens ſolito, petiſti
Lyris amæna.
Lubricus ſtrata furit anguis ara,
Aggravat pondus, ſtrepit igne falſo,
Sed nihil contra valet inchoatum
Ferre laborem.
Membra collapſo lacerata muro
Sana redduntur, patulo probantur
Fratribus furtim malefacta, Regis
Panditur actus.
Noxa libantem necat, & ruina
Sedis electæ patet, obtinentur

Spi-

Digitized by Google

Spiritus , rapto latitare vino
Cernitur hydrus.
Objicis fratri quod inane fecit,
Inſpicis mentem penitus rebellem,
Copiam prodis , gravidiſque ſomno
Conſulis index.
Perfidos tellus procul egit artus,
Siſtit errantem draco , ceſſit ulcus
Regium , nummi ſubiere , fugit
Horrida peſtis.
Quod cadit vitrum , patet eſſe ſalvum,
Vaſa producunt oleum , chelydrus
Pellitur dextra , manuumque lora
Viſio ſolvit.
Reddito vitæ puero ſubire
Cælicas ſedes animam ſororis,
Et velut ſolis radio ſub uno
Omnia cernis.
Scandit ardenti ſacer orbe Præſul,
Tu via cælum facibus coruſca ,
Quando ter ternis tribus & Kalendis
Inſtat Aprilis.
Te canit lætus chorus Angelorum,
Patriarcharumque , & Apoſtolorum ,
Et Prophetarum , meritis ab omni
Parte beatum.
Ut ſit hujus plebs memor iſta laudis,
Hic ames dici pater , hanc decenter
Si doces , laute refove , polumque
Scandere præbe.
Chriſte , devoti pretium laboris,
Confer iſtius prece nos juvari,
Cujus exemplo peritura fœdi
Liquimus orbis.

Hym-

Veterum Carmina

Hymnus hic noſter, Benedicte princeps,
Sit tibi ſemper placidus, tuorum
Qui ſalus es, lux, decus, & perennis
Laus monachorum.
Meta cœleſtis pretioſa regis
Te facit veris celebrem trophæis;
Unde nos ſemper petimus frequentes
Nocte dieque.
Doxa ſublimi maneat Parenti,
Ejus & ſacro diadema Nato,
Et tibi virtus utriuſque compar
Spiritus alme.

Hymnus S. Petri Cluniacenſis.

INter æternas Superum coronas,
Quas ſacro partas retinent agone,
Emicas celſis meritis coruſcus,
O Benedicte.
Sancta te compſit puerum ſenectus,
Nil ſibi de te rapuit voluptas,
Aruit mundi tibi flos ad alta
Mente levato.
Hinc fuga lapſus patriam, parentes
Deſeris fervens eremi colonus,
Edomas carnem, ſubigiſque Chriſto
Tortor acerbus.
Ne diu tutus latebras foveres,
Signa te produnt operum piorum,
Spargitur felix celeri per orbem
Fama volatu.
Fracta reſtauras prece præpotenti,
Frangis oblatum cruce mortis hauſtum,

Cur-

De S. P. Benedicto.

Currit ignarus monachus per undas
Patre jubente.
Verberas fratrem, fugit hoſtis atrox,
Ad manus ferrum redit e profundo,
Præcipis rupi, vomit illa rivos
Arva rigantes.
Ales agreſtis tibi juſſa præſtat,
Lora conſtricti pie viſa ſolvis,
Conſpicis mundum radio ſub uno
Raptus ad aſtra.
Mortuum vitæ revocas precando,
Corda multorum penetras propheta,
Cernis ad cœlos animas levari
Clarificatus.
Laudet exultans Deitas creatrix
Te chori noſtri jubilus perennis,
Quem poli jungas ſuperis choreis,
Quæſumus omnes.

Hymni ex Breviario MS. Monaſterii S. Zenonis Veronæ.

AD VESPERAS.

CHriſti favente gratia
Reſonet plebs obnoxia
Benedicti præconia,
Et tam feſtiva gaudia.
Vir vitæ venerabilis,
Virtutis ineffabilis,
Vir opere laudabilis,
Doctrina commendabilis.

Ætas

Ætas in puerilibus
Tranſit , excellit moribus,
Spretis paternis omnibus,
Hæret ſupernis civibus.
Rejecta ſæcularium
Cura prætereuntium,
Tollit moræ diſpendium,
Mundum fugit , & vitium.
Spiritu duce agitur,
In deſertum adducitur,
Caro victa proſternitur,
Mentis legi ſubjicitur.
Regula vitæ ſcribitur,
Facto doctrina proditur,
Fratrum cætus adjicitur,
Sanctum nomen effunditur.
Patri beati meriti
Laus , & honor Ingenito,
Gloria Unigenito,
Virtus ſumma Paracleto. Amen.

AD NOCTURNOS.

SIgnifer invictiſſime,
Sacræque dux militiæ ,
Nos Benedicte valido
Precum defende brachio .
His armis execrabilem
Leonis vince rabiem,
Quibus olim teterrimam
Pellis ab ore merulam .
Urticæ junctæ vepribus
Vulnus curant vulneribus ;

Flam-

De S. P. Benedicto.

Flammata mens divinitus
Ignem extinguit ignibus.
Crucem mittens ut lapidem,
Veneni frangit calicem,
Non valet mortis vaſculum
Vitæ ferre ſignaculum.
Frater, quem tunc nequiſſimus
Vagum raptabat ſpiritus,
Dum tua virga cæditur,
Stabilitati redditur.

AD LAUDES.

PLenæ meſſis manipulis
Congregatis diſcipulis
Miris ſplendet miraculis
Viæ lucerna populis.
In paupertatis prædiis
Duodenis cœnobiis,
Diſtributis in filiis
Ac ſanctorum collegiis.
Poſt ſpecum quam incoluit,
Ubi lux mundo claruit,
Caſtrum Caſinum tenuit,
Cui præfuit, & profuit.
Hinc poſt virtutum æmulum
Mortis hujus ergaſtulum
Reſolvens carnis vinculum
Tranſit ad Dei populum.
Fratrem, ſororem populus
Deflet, & omnis oculus,
Quos ſanctorum faſciculus
Servat, & idem tumulus.

Digitized by Google

Benedictus in gratia,
Benedictus in gloria
Nobis de cœli curia
Grata ſerat auxilia. Amen.

Hymni ex Breviario MS. S. Georgii majoris Venetiarum.

AD VESPERAS.

CHriſte ſanctorum decus, atque virtus,
Vita, & forma, via, lux, ſaluſque,
Supplicum vota, pariterque hymnum
Suſcipe clemens.
Qui tuum dudum Benedictum ad te
Attrahens mire ſegregaſti mundo,
Ut prava mundi reprobare diſcens
Te ſequeretur.
Cujus devotum animum pueri
Gratia præſtas fidei valentem,
Qua valens mira precibus peregit
Mente fideli.
Dein extendens pedem in remotis
Ardua ſcandit, cruciare malens
Corporis artus juvenili ardens
Caſtus amore.
Imbuit poſt hinc homines beatis
Regulis artis animos retundi,
Et jugo ſemper Domini polorum
Subdere colla.
E quibus Maurus ſedulus miniſter
Gurgite ductum Placidum puerum

Ob-

De S. P. Benedicto.

Obſequens Patri latice levatum
Æquore traxit.
Hujus o Chriſte meritis precamur
Arceas iram, tribuas favorem,
Gratiam præſtes, veniamque nobis,
Mitis ad omnes.
Præbe oramus Deus alme rector,
Ut fides noſtra vitiis reſiſtat,
Atque virtutum ſtudiis miniſtret
Pectore puro.
Gloriam Patri reſonemus omnes,
Et tibi Chriſte genite ſuperne,
Cum quibus ſanctus ſimul & creator
Spiritus degit. Amen.

AD NOCTURNOS

Signifer invictiſſime
Sacræque dux militiæ,
Nos Benedicte valido
Precum defende brachio.
His armis execrabilem
Leonis vince rabiem,
Quibus olim teterrimam
Pellis ab ore merulam.
Urticæ junctæ vepribus
Vulnus curant vulneribus;
Flammata mens divinitus
Ignem extinguit ignibus.
Crucem mittens ut lapidem,
Veneni frangit calicem,
Non valet mortis vaſculum
Vitæ ferre ſignaculum.

Digitized by Google

Frater, quem tunc nequiſſimus
Vagum raptabat ſpiritus,
Dum tua virga cæditur
Stabilitati redditur.
Sit Patri laus ingenito,
Sit decus Unigenito;
Sit utriuſque parili
Majeſtas ſumma Flamini. Amen.

AD LAUDES.

AUrora ſurgit aurea
Feſta reſtaurans annua,
Cum Benedictus arduum
Cœli ſcandit palatium.
Quanta in ſummis accipit
Qui ſic in imis claruit;
Cujus micant prodigia
Per ampla mundi climata.
Ejus carentum gratia
Tellus vomit cadavera,
Devotis unda liquida
Sicca lambit veſtigia.
Totius orbis ambitum
Per ſolis videt radium;
Mens in auctore poſita
Subjecta cernit omnia.
Te ſumme Pater petimus,
Pronæ mentis viſceribus,
Ut Cœlum des aſcendere,
Quos terram doces ſpernere.
Sit Patri laus &c.

Digitized by Google

De S. P. Benedicto.

Hymni ex Breviario impreſſo Venetiis anno 1525.

AD VESPBRAS.

LAudibus cives reſonent canoris,
Templa ſolemnes modulentur hymnos,
Hac die ſummi Benedictus arcem
Scandit olympi.
Ille florentes peragebat annos,
Cum puer dulcis patriæ penates
Liquit, & ſolus latuit ſilenti
Conditus antro.
Inter urticas rigidoſque ſentes
Vicit altricem ſcelerum juventam,
Inde conſcripſit documenta vitæ
Pulchra beatæ.
Æream turpis Clarii figuram,
Et nemus ſtravit Veneri dicatum,
Atque Baptiſtæ poſuit ſacrato
Monte ſacellum.
Jamque felici reſidens olympo
Inter ardentes Cherubim catervas
Spectat, & dulci reficit clientum
Corda liquore.
Gloria Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriuſque ſemper
Spiritus alme Deus unus omni
Tempore ſæcli.

AD

AD MATUTINUM.

QUidquid antiqui cecinere vates,
Quidquid æternæ monimenta legis,
Continet nobis veneranda ſummi
Vita monarchæ.
Extulit Moſem pietas benignum,
Inclytum proles Abraham decorat,
Iſaac ſponſæ decus, & ſeveri
Juſſa parentis.
Ipſe virtutum cumulis onuſtus
Celſior noſtri Patriarcha cætus,
Iſaac, Moſem, Abraham ſub uno
Pectore clauſit.
Ipſe quos mundi rapuit procellis
Hic prius flatu ſtatuat ſecundo,
Pax ubi nullo requieſque gliſcit
Mixta pavore.
Gloria Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriuſque ſemper
Spiritus alme Deus unus omni
Tempore ſæcli.

AD LAUDES.

RUſticum ſolo Benedicte nutu
Traxeras vinclo miſerum tenaci,
Solve nunc ſacris precibus maligno
Corda reatu.
Clauſeras ſaxo laticem rigenti,
At modo noſtri lapidem reſcinde

De S. P. Benedicto.

Pectoris, fletu queat ut ſalubri
Tergere ſordes.
Conteris ſigno cyathum potenti,
Nec tibi virus nocuit paratum,
Sic tuos ſemper tueare fœdo
Criminis hauſtu.
Nunc velut quondam facies ſerena
Pellat hoſtiles erebi catervas,
Mortuis lucem, miſeris levamen
Conferat aptum.
Ut pii tandem meritis magiſtri
Rite cœleſti potiamur aula,
Atque ſupremæ reſonemus omnes
Cantica laudis.
Gloria Patri dòmino perenni,
Atque ſublimi Genito canamus,
Cum quibus ſceptro Paracletus ardens
Perpete regnat.

Sequentia ex antiquis Miſſalibus.

LÆta quies magni ducis
Dona ferens novæ lucis
Hodie recolitur.
Charis datur piæ menti,
Corde ſonet in ardenti
Quidquid foris promitur.
Hunc per callem orientis
Admiremur aſcendentis
Patriarchæ ſpeciem.
Amplum ſemen magnæ prolis
Illum fecit inſtar ſolis,
Abrahæ perſimilem.

Cor-

Corvum cernis miniſtrantem,
Hinc Eliam latitantem
Specu noſce parvulo.
Eliſæus dignoſcatur,
Cum ſecuris revocatur
De torrentis alveo.
Illum Joſeph candor morum,
Illum Jacob futurorum
Mens effecit conſcia.
Ipſe memor ſuæ gentis
Nos perducat in manentis
Semper Chriſti gaudia. Amen.

GRÆCORUM MENÆIS

Die 14. Martii.

Sticira ſimilia.

SPonte, ac vera charitate mundo abnegato, o Pater a puero ſancte, lætus vivificum Chriſtum ſecutus es, multiſque colluctationibus carne mortificata, ſanationum gratiam abunde recepiſti, ob varias ægritudines repreſſas, & abactos nequitiæ ſpiritus in magna habitus admiratione.

Simile.

MOnachorum ornamentum effectus, in comparabilem multitudinem concinendis Domini laudibus congregaſti, Pater ſancte, noſque om-

ΕΚ ΤΩΝ ΜΗΝΑΙΩΝ

Τοῦ Μαρτίου ιδʹ.

Στιχηρὰ Προσόμοια.

ΝΕύσει καὶ ἀγάπῃ ἀληθεῖ, Κόσμον ἀρνησάμενος Πάτερ. ἐκ βρέφους Ὅσιε, χαίρων ἠκολουθήσας τῷ σαυρωθέντι Χριστῷ· καὶ πολλοῖς ἀγωνίσμασι, τὴν σάρκα νεκρώσας, χάριν τῶν ἰάσεων πλουσίως ἔλαβες, παύειν ἀσθενείας ποικίλας, καὶ τῆς πονηρίας διώκειν, πνεύματα μεγάλως θαυμαζόμενος.

Ὅμοιον.

ΚΟ'σμος γεγονὼς τῶν Μοναστῶν, ἤθροισας ἀνείκαστον πλῆθος ὑμνεῖν τὸν Κύριον. ὅσιε Πάτηρ ἡμῶν καὶ πρὸς οὐράνιον, παντὸς βίον ὁδηγήσας, καλῶς ἑπομένους,

omnes ad cæleſtem vitam deduxiſti, divinis præceptis tuis recte obſequentes, beatamque vitam tuam, o Beate, imitantes, quos rurſus ſimul in tranſitu tuo coadunaſti, o Benedicte.

Simile.

QUemadmodum olim Helias, cælitus imbres, o Pater, Deum interpellans deduxiſti, oleumque celeriter effluere feciſti, ac mortuum excitaſti, aliaque innumera perpetraſti miracula ad gloriam, o Sancte, Dei, & Salvatoris univerſorum; idcirco divinam memoriam tuam devota mente celebramus, o Benedicte.

Canon auctore Joſepho.

Ode 1.

MIhi laudabilem memoriam tuam, o Sancte, hymnis celebrare aggreſſo gratiam ac peccatorum omnium remiſſionem tribui, Benedicte ſancte, deprecare.

IN eremo tuam a pueritia crucem tollens, Omnipotentem inſecutus es, atque carne mortificata vitam, o beatiſſime, promeruiſti.

Di-

νους, θείοις σου διδάγμασι ἑπομένους σου, βίον τὸν ἐνάρετον μάκαρ· οὓς καὶ πάλιν ἅμα συνῆξας, ἐν τῇ μεταστάσει σου Βενέδικτε.

Ὅμοιον.

ΠΑ'λαι ὡς Ἡλίας ὑετὸς, Πάτερ οὐρανόθεν ἐντάξει θεία κατήγαγες· βλύζειν δὲ τὸν ἔλαιον τάχος ἐποίησας. καὶ νεκρὸν ἐξανέστησας, καὶ ἄλλα μυρία, θαύματα ἐτέλεσας εἰς δόξαν ὅσιε, πάντων τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος· ὅθεν σου τὴν ἔνθεον μνήμην, πόθῳ ἑορτάζομεν Βενέδικτε.

Κανὼν Ἰωσήφ.

Ὠδὴ α.

Υ'Μνολογεῖν. τὴν ἀξιέπαινον μνήμην σου, προαιρουμένῳ ὅσιε χάριν δοθῆναί μοι. Βενέδικτε δυσώπει, καὶ πάντων ἐπταισμένων τὴν ἀπολύτρωσιν.

ΜΟναδικῶς. τὸν σὸν ἐκ βρέφους ἀράμενος. Σταυρὸν κατηκολούθησας τῷ Παντοκράτορι. καὶ νεκρώσας τὴν σάρκα, ζωῆς κατηξιώθης μακαριώτατε.

G

Nό-

DIvinæ ſubditus legi, o perbeate, pravarum affectionum inſultus compreſſiſti per continentiæ ſudores, gratiamque quæ te vacuum ab illis effecit, copioſe comparaſti.

Ode 3.

TUa, o Benedicte, anima emanare fecit fluvios aquarum viventium, ſcilicet miraculorum, quibus morborum injuriæ propulſantur.

ANguſta ſemita calcata pedem in Paradiſi latitudine fixiſti, o prorſus beate, ac dæmonum calliditates, & inſidias eluſiſti.

LAcrymarum tuarum profluviis fructiferi ligni inſtar irrigatus, o Benedicte, divinos virtutum ac miraculorum fructus, Dei virtute, ubertim attuliſti.

Cathiſma.

PLacitæ Deo ſolitudinis aſſecla, vitam ad virtutis normam traduxiſti, atque ſanationum gratiam reportaſti, o Benedicte, eximiorum miraculorum patrator, ſacri gregis collector, Electorum multitudinem Chriſto ad-

NΌμῳ Θεῷ, ὑποκλιθεὶς παμμακάριστε, τὰ τῶν παθῶν σκιρτήματα ἐναπεμάρανας, ἐγκρατείας ἱδρῶσι. καὶ τὴν τῆς ἀπαθείας χάριν ἐπλούτησας.

Ὠδὴ γʹ.

NΑμάτων ζωτικῶν τοῦ Θείου Πνεύματος, Βενέδικτε ἡ ψυχή σου, ποταμοὺς θαυμάτων ἔβλυσε, νοσημάτων ἐξαίροντες ἐπήρειαν.

ΠΡὸς πλάτος Παραδείσου κατεσκήνωσας, παμμάκαρ τὴν στενὴν ὁδεύσας τρίβον, καὶ Δαιμόνων πανουργεύματα. καὶ πορείας ἀπράκτους ἐναπέδειξας.

PΟαῖς σου τῶν δακρύων ἀρδευόμενος, ὡς δένδρον Βενέδικτε καρποφόρον. δὲ καρπίαν θείαν ἤνεγκας, ἀρετῶν καὶ θαυμάτων θείᾳ χάριτι.

Κάθισμα.

MΟνάσας θεαρέστως. ἐνχρέπως ἐβίωσας, καὶ χάριν ἰαμάτων ἐκομίσω Βενέδικτε, θαυμάσια τελέσας φοβερὰ, μονὴν συγκροτήσας ἱερὰν, προσενήνοχας Χριστῷ, τῶν σωζομένων πληθὺν πανόλβιε· δόξα τῷ σὲ λαμπρύναντι Θεῷ, δόξα τῷ στεφανώσαντι, δόξα

adduxiſti, o beatiſſime, gloria Deo, qui te glorificavit, gloria Deo, qui te coronavit, gloria Deo, qui per te ſanationes omnibus impertitus eſt.

Ode 4.

TE ipſo pravis affectionibus, mundoque, Pater ſancte, crucifixo, famulatum Chriſto, qui voluntarie palmas in cruce extendit, impendiſti, o Benedicte, quem exora, ut animas noſtras ſalvas faciat.

PEr continentiæ certamina, o Beate, carnis membris mortificatis, mortuos precibus exſuſcitaſti, ac debilibus expeditam gradiendi vim tradidiſti, morbumque omnem curaſti, cum fide in admiratione habitus, o Pater.

SIccas, atque aridas animas vivifico ſermone tuo, o Beate, frugiferas reddidiſti, miraculorum exhibitione, & paſtor divinitus inſpiratus, & ſpecioſiſſimus monachorum decor effectus.

Ode 5.

MIſericordem Deum deprecatus, ſapiens Pater, olei thecam, quemad-

mo

ξα τῷ ἐνεργοῦντι διὰ σοῦ πᾶσιν ἰάματα.

Ὠδὴ δ΄.

ΣΤαυρώσας σεαυτὸν τοῖς πάθεσι, καὶ τῷ Κόσμῳ Θεόφρον Πάτερ, τὸν ἐν Σταυρῷ τείναντα, ἐθελουσίως τὰς παλάμας Χριστὸν, ἐθεράπευσας Βενέδικτε· ὃν ἐκδυσώπει σῶσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

ΑΓῶσιν ἐγκρατείας Ὅσιε, τῆς σαρκὸς νεκρώσας τὰ μέλη, νεκροὺς δι' εὐχῆς ἤγειρας· καὶ παρειμένοις εὐδρομίαν πιστῶς, θαυμαζόμενος ἀπένειμας, καὶ πᾶσαν νόσον Πάτερ ἐθεράπευσας.

ΞΗρὰς τε καὶ ἀϊκμους Ὅσιε, ἀπειργάσω ψυχὰς γονίμους, τῷ ζωτικῷ λόγῳ σου· καὶ τῇ τῶν θαυμάτων ἐπιδείξει Ποιμὴν, Θεοπρόβλητος φυόμενος, καὶ μοναζόντων Κόσμος ὡραιότατος.

Ὠδὴ ε΄.

ΤΟν ἐν ἐλέει Θεὸν, ἐκδυσωπῶν Πάτερ σοφὲ ἔπλησας, ὡς Ἠλίου καμψάκην ἐλαίου, τὸ πάχος

παμ-

modum Helias, illico repleviſti, o beatiſſime, a videntibus cum fide in admiratione habitus.

UTpote mente purus, utpote extra te raptus univerſam terram conſpexiſti, ceu ab unico radio Dei te honorantis illuſtratus, o beatiſſime Benedicte.

IN Chriſto imperans fontis aquam, precibus bonorum datorem obſecrans, emanare feciſti, quæ miraculum deprædicans, o Benedicte, adhuc perſeverat.

Ode 6.

SPiritus ſplendore colluſtratus, pravorum etiam dæmonum tenebras diſſipaſti, o miraculorum patrator Benedicte, ſplendidiſſimum monachorum luminare.

QUam glorioſa, o Beate, vita tua! quam ſplendida ſacra tua converſatio! per quam monachorum greges ad ſalutarem agnitionem attraxiſti.

SUpercæleſtis regni incola effectus, divine Benedicte, ut ii, qui te ſemper beatum cum fide deprædicant, illud conſequantur, deprecare.

Ode

παμμάκαρ, ὑπὸ τῶν ὁρώντων πιστῶς θαυμαζόμενος.

ὯΣ καθαρὸς τὴν ψυχὴν, ὡς ἐν ἐκστάσει γεγονὼς ἔβλεψας, πᾶσαν τὴν γῆν, ὡς ὑπὸ ἀκτῖνα λαμπόμενος μίαν, Θεοῦ σε τιμῶντος παμμάκαρ Βενέδικτε.

ΔΗμιουργῶν ἐν Χριστῷ· ὕδωρ πηγῆς τῆς δι᾽ εὐχῆς ἔβλυσας, ἐκδυσωπῶν τὸν ἀγαθοδότην· ὅπερ διαμένει, ἐπαναχηρύττον τὸ θαῦμα Βενέδικτε.

Ὠδὴ ϛ΄.

ΦΩταυγείας λαμπόμενος Πνεύματος σκότος πονηρῶν τε δαιμόνων ἠμείωσας, θαυματουργὲ Βενέδικτε, μοναζόντων φωστὴρ διαυγέστατος.

ὯΣ περίδοξος μάκαρ ὁ βίος σου, ὡς περιφανὴς ἡ σεπτὴ πολιτεία σου, δι᾽ ἧς ἀγέλας εἵλκυσας, μοναζόντων πρὸς γνῶσιν σωτήριον.

ΒΑσιλείας οἰκήτωρ γενόμενος, τῆς ἐπουρανίου Θεόφρον Βενέδικτε, ταύτης τυχεῖν ἱκέτευε, τοὺς πιστῶς σε ἀεὶ μακαρίζοντας.

Ὠδὴ

De S. P. Benedicto.

Ode 7.

MOrtificationem vivificam, atque voluptatum propulſationem aſſecutus es, unde mortuos exſuſcitare valuiſti, o beatiſſime Benedicte, a fidelibus omnibus, magni inſtar Heliæ, in admiratione habitus.

INnocuorum monachorum gregem ſanctis laboribus tuis adunaſti, qui præſidiis tuis, o admirande, protectus ſemper perſeverat, tuis ſapientibus dictis obtemperans.

TE, o beate, venenatis potionibus interimere inſipienter volentes, quem divina univerſi Creatoris manus cuſtodiebat, inſipientes con fuſi ſunt, quos prævia tua per Spiritum ſcientia deprehendit.

Ode 8.

ADverſus exitiales animis affectiones in Chriſto regnans, divine Pater, cælorum regnum incolere promeruiſti cum omnibus iis, qui recte vixerunt, atque univerſorum inſpectorem Deum dilexerunt.

SAnctas tuas preces excipiens Deus, indigentibus vivendi modos propter te ſuppeditabat, magnopere glorificans

Ὠδὴ ζʹ.

ΝΈκρωσιν ζωηφόρον ἐκτήσω, καὶ τῶν ἡδονῶν τὴν ἀποχήν· ὅθεν νεκροὺς ἐξεγείρειν, κατηξιώθης παμμάκαρ Βενέδικτε, θαυμαζόμενος ὑπὸ πάντων τῶν πιςῶν, ὡς Ἠλίας ὁ μέγας.

ΕἸργάσω τοῖς ὁσίοις σου πόνοις, μάνδραν ἀπείρων Μοναςῶν· ἥτις ἀεὶ διαμένει, τειχιζομένη ταῖς προςασίαις σου ἀξιάγαςε, πειθομένη τοῖς καλῶς ὑπὸ σοῦ τυποθεῖσι.

ΔΌξαντες θανατῶσαι ἀφρόνως, μάκαρ φαρμάκοις πονηροῖς, σὲ τὸν φρουρούμενον θείᾳ τοῦ παντουργοῦ παλάμῃ, οἱ ἄφρονες κατῃσχύνθησαν, φωραθέντες τῇ ἐν σοὶ τοῦ Πνεύματος προγνώσει.

Ὠδὴ ηʹ.

ΚΑτὰ παθῶν φθοροποιῶν, βασιλεύσας ἐν Χριςῷ θεόφρον Πάτερ, Οὐρανῶν Βασιλείαν, κατηξιώθης οἰκεῖν σὺν πᾶσι τοῖς καλῶς βιώσασι, καὶ τὸν παντεπόπτην Θεὸν ἠγαπηκόσι.

ΤΑ'ς σὰς ἁγίας προσευχὰς, προσδεχόμενος Θεὸς τοῖς ἐνδεέσι, διὰ σοῦ ἐχορήγει τὰς πρὸς τὸ ζῆν ἀφορμὰς, μεγάλως ἐπὶ γῆς δο-

Digitized by Google

cans te miraculorum virtute, beatiſſime Benedicte.

Divinarum virtutum forma ſpecioſus effectus, ad divinos translatus es thalamos, o Pater, ad converſandum cum Deo, divinaque hujus pulchritudine per ſempiterna ſæcula frueris.

Ode 9.

Heliæ magni inſtar, mundum eximiis prodigiis illuſtraſti, o Deifer, atque virtutum ſplendoribus; qua propter memoriam tuam vere ſplendidam celebramus, cordis ſenſus illuſtratos gerentes, o Pater.

Te monachorum turbæ a te convocatæ diu noctuque concelebrant, corpus tuum in medio poſitum ſervantes, quod largos miraculorum fluvios effundit, o Pater ſapiens, eorumque greſſus perenni lumine colluſtrat.

Divinis mandatis obſecutus, o Pater, ſuper ſolares radios effulſiſti, atque ad inocciduum lumen translatus es, exorans propitiationem peccatorum concedi iis, qui te cum fide colunt, celebris Benedicte.

δοξάζων σὲ, ταῖς θαυματουργίαις Βενέδικτε τρισμάκαρ.

Ὡραιωθεὶς ταῖς καλλοναῖς, τῶν ἐνθέων ἀρετῶν πρὸς τοὺς ἐνθέους, μετετέθης νυμφῶνας Πάτερ συνεῖναι Θεῷ, καὶ τούτου θείας ὡραιότητος, εἰς τοὺς ἀπεράντους αἰῶνας ἀπολαύεις.

Ὠδὴ θʹ.

Ὤφθης ὡς Ἥλιος μέγας, καταυγάζων τὴν Κτίσιν, σημείοις Θεοφόρε φοβεροῖς, καὶ ἀρετῶν ἀναλάμψεσι, διὰ τοῦτο τελοῦμεν τὴν μνήμην σου τὴν ὄντως φαεσαυγῆ, φωτιζόμενοι Πάτερ καρδίας αἰσθητήρια.

Σὲ μοναζόντων ἀγέλαι, ὑπὸ σοῦ κροτηθεῖσαι, ἡμέρας ἀνυμνοῦσι καὶ νυκτὸς, μέσον τὸ σῶμά σου ἔχοντες, ἀναβλύζον πλουσίως θαυμάτων ποταμοὺς, Πατὲρ σοφὲ, καὶ φωτίζον τὰ τούτων ἀπαύστως διαβήματα.

Ἡλιακῶν λαμπηδόνων, ὑπερήστραψας Πάτερ, τελέσας τὰς Θεοῦ τὰς ἐντολὰς, καὶ πρὸς τὸ φῶς τὸ ἀνέσπερον μετετέθης πρεσβεύων δοθῆναι ἱλασμὸν ἁμαρτιῶν, τοῖς πιστῶς σε τιμῶσιν, ἀοίδιμε Βενέδικτε.

Pau-

De S. P. Benedicto

Pauli Diaconi & Monachi Caſinenſis Homilia.

QUia Venerabilis Beda Presbyter ultimam homiliarum ſuarum, hoc eſt quinquageſimam, de vita & actibus cujuſdam Benedicti inclauſi ſui Monaſterii pæne totam contexuit, quæ utique minime ad legendum noſtris congruere videbatur officiis: ego Paulus Diaconus extremus beati Benedicti ſervulus, ne numerus ipſi quinquagenarius harum homiliarum eſſet diminutus, hanc quinquageſimam homiliam ad Dei gloriam, & Sanctiſſimi Noſtri Patris Benedicti laudem gratia ſuperna ſuffragante, compoſui.

Lectio Sancti Euangelii ſecundum Lucam.

IN illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Nemo accendit lucernam & in abſcondito ponit neque ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. Et reliqua.

Homilia Pauli Diaconi, & Monachi de eadem lectione.

HIs S. Evangelii verbis, quemadmodum audiſtis Fratres cariſſimi, paulo ſuperius de Judæis non credentibus Dominus præmiſit dicens: generatio hæc generatio nequam eſt, ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei &c. *Et poſt multa.*

Quis potius Fratres cariſſimi poſt Sanctos Apoſtolos quam hic beatiſſimus Pater noſter ſalis valet nomine appellari? qui ab Urbe ſegregatus Romulea, tamquam ab inſtabilibus amariſque pelagi fluctibus dum intra ſpecus ſui ſe ſe ambitum tenuit, quidquid vel modicum ex mundanæ mobilitatis liquore habere poterat, in ſalis ſoliditatem rationemque mutavit, verique Solis radiis per caritatem fervoris torrefactus ad juſtitiæ candorem pervenit. Qui non ſolum tunc

cor-

corporali præſentia multorum piis verbis, vel actibus vitam condivit ad uſque ad præſentem diem præſens ſpiritu non tantum noſtrum collegium, ſed per totum maxime Occidentem ſuos ſequaces erudit. Qui per ſalubrem rationiſque plenam ſanctæ inſtitutionis ſuæ regulam, vitam carnalium, diſſolutionis labe tabidam, reſtringendo revocat ad ſalutem: cujus diſtrictionis cenſura etſi ut ſalis ſpecies plagis videatur crudeſcentibus auſtera, certum tamen eſt quod tolerata patientius cæleſtem conferat medicinam. Unde Fratres cariſſimi, ſi quando forte acrius a prælato nobis patre ſeu ab his, qui ab eo nobis præponuntur, regulariter caſtigamur; tanto hanc humilius illatam perpetuæ ſalutis medelam nos ſuſcipere convenit, quanto ſine dubio nobis credenda eſt gehennæ ſupplicia mitigare. Quis magis ut dicere cæperamus, quam hic index artioris viæ, ut lucis jubar mundo reſplenduit? qui vitæ meritis & miraculorum multiplicitate non ſolum tunc emicuit, ſed & hactenus circumquaque excreſcendo clareſcit. Teſtatur hoc quod loquitur recens illud miraculum, quod ante hoc fere decennium geſtum multiſque veſtrum eſt cognitum, mutum ſcilicet ante ejus hoc corpus ſacratiſſimum fuiſſe locutum; mox ut Benedicti opem totis votis expetiit, linguæ conſecutus eſt officium, & qui nullum ex die ortus ſui verbum edere poterat, quod admirandum vehementius, non ſolum loquelam propriam, hoc eſt barbaram, cæpit effari, ſed ſimul etiam, & latinam. Plura ſunt, & relatu digna, quæ per eum quotidie Chriſtus efficit, quæ propria, Deo præſule, feriæ veſtræ pandenda ſunt caritati. Quis igitur, ut cæpta proſequar, ſimpliciore quam iſte oculo, ideſt puriore cordis intentione, vitam tranſegit? qui cuncta ſemper peritura deſpiciens, mentem in cæleſtibus ſolidavit; quique ideo ad id quod voluit mox exauditus eſt, quia ſimplititate mentis Deo complacens, duplicitatis a ſua intentione rugas excluſit. *Et poſt nonnulla*. Cujus, inquam, corpus, quod opera ſignificare diximus, magis

magis quam iſtius , lucidum exiſtere potuit , qui tam multis per vitæ excellentiam lumen exhibuit ? aut quem potius quam hunc ſplendor propriæ actionis ut lucerna fulgoris illuminavit, qui innumeris exterius ad cælum ſeptus lampadibus , potiora utique de Creatoris viſione interius percepturus aſcendit ? Quæ lucerna clarior hoc præceptore ſurrexit quæ ſuper candelabrum altioris vitæ poſita totas occidui provincias radiavit ? quæ fortaſſe ſi intra ſpeluncæ ſuæ ſe ſe ut cæperat anguſtias occuluiſſet , videretur utique quaſi ſub modio hoc eſt cenſuræ propriæ menſura retenta , aut paucis , aut nullis fulgoris rutili crines adſpergeret . Sed adſpirante Deo ſupra candelabrum regiminis poſita, cunctis luſtrari volentibus præclarum lumen exhibuit , ut hodieque per omnes pene Chriſtianis cultibus deditas regiones auditis tantorum miraculorum prodigiis , cognito tantæ lumine ſanctitatis, univerſorum ad quos hæc pervenire valent , fidelium in divinis laudibus ora reſultent . Ut enim pauca de multis loquar, quis non miretur audiens pandentem in propatulo abdita, prædicentem futura ? parere juſſibus latices, prodire de rupibus fontes, perdere toties elementa naturam, præbere volucres obſequelam , terram ſuſceptum cadaver evomere . . . . cunctis terribile eſt, pavidare ; morbos imperiis cedere, mortem jus dominii perdere, ſecretum cordis patefieri, clauſtris retentis corporis quo velit ſpiritu properare ? Poſtremo quis non ſtupeat totum ab uno homine mundum conſpici, in terris poſitum cœli cives adſpicere, carne adhuc revinctum animarum merita contemplari ? Hæc & his multa ſimilia quis aure percipiens non in Dei Patris continuo laudes erumpat, qui talia ſuis ſervis confert, & ſuper hæc omnia regnum ſine termino largitur in cœlis ? Sed unde Pater hic eximius patrare iſta promeruit, ut ad inſtar Sanctorum Apoſtolorum tot admirante mundo miraculis coruſcaret, niſi quia eorumdem Apoſtolorum vitam tenuit, & cœleſtis inſtituta præceptoris aure pectoris ſervaturus accepit ? Non il-

lum carnis illecebra , non mundi gaudia male ſuadentia , non hoſtis aſtuta conſilia valuerunt in aliquo flectere anhelantem ad præmia ſempiterna. Proinde fratres cariſſimi, nos qui e diverſis mundi partibus ad ejus properavimus magiſterium , diſcamus ſpernere quod ſprevit , diſcamus diligere quod dilexit : & , ſi ſequi eum poſt ad gloriam cupimus , modo ipſius veſtigia imitando ſequamur : ne , ſi nunc ab ejus rectitudinis forma deflectimus , ab illius poſtmodum coacti conſortio dirimamur . Certe ſi quem noſtrum de hoc etiam conventu aliquis violentus ad carcerem traheret, magna revera illum qui hoc pateretur confuſio, ingens ſimul mæſtitia coartaret . Quid putamus cariſſimi , ibi tunc eſſe confuſionis , quid terroris , & anguſtiæ ſi contingat (quod Deus avertat) aliquem noſtrum ab illo ſplendidiſſimo Sancti hujus Patris noſtri , & præcedentium fratrum choro in perpetuum ſeparari , & infinitis inſuper tormentis immergi?

Circumſpiciamus quapropter , dilectiſſimi , undique vitam noſtram; excludamus a nobis cunctas ſordes omnemque malitiam ; ſimus mites continentes & humiles ; ſectemur ea quæ pacis ſunt & caritatis ; teneamus hujus Patris noſtri præcepta ; ſequamur veſtigia , ut cum eo pariter gaudia conſequamur æterna præſtante Domino Noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre vivit , & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum . Amen.

De S. P. Benedicto.

Sermo Odonis Abbatis Cluniacenſis atque Floriacenſis.

(Quæ in hoc & ſequenti Sermone de S. Benedicti Translatione, & Tumulo dicuntur, in Notis caſtiganda venient.).

FEſtiva Beatiſſimi Benedicti ſolemnitas, Chriſto Domino propitiante, refulget, quæ fidelium cordibus & affectum devotiſſime augere, & ſpiritale gaudium afferre conſuevit. Merito ſiquidem tanti Patris memoriæ iidem fideles congaudent, ut illud propheticum impleatur: dicite juſto quoniam bene; & item: memoria juſti cum laudibus. Conſtat enim, quod unumquemque Sanctorum Chriſtiana pietas tanto venerabilius colit, quanto celſius hunc a Deo decoratum cognoverit. Unde & iſtum Patrem divino quodam inſtinctu ſpecialius amat, ejuſque memoriam dulcius recenſet. Nimirum non neſcia, quod illum Omnipotens Deus inter ſummos, & electos Sanctæ Eccleſiæ Patres unicum in modum provexit, & inter ſanctæ Fidei fundatores, ac cœleſtis diſciplinæ cenſores inſigniter ſublimavit. Quippe quem Sancti Spiritus Kariſma, tum miraculorum ſignis, tum virtutum exercitu adornavit, ut dignus in mundo appareret, per quem excelſioris ordinis multitudinem informaret. Inde eſt, quod & in hac ſolemnitate, & in aliis Sancto nomini ejus dicatis, quoties in anno ſuis temporibus eveniunt, tam devote tamque libenter, & ex tantis patribus ad ejus ſacroſanctum tumulum tanti accurrunt. Nam non quique pagenſes, verum etiam plebs urbana nobilibus viris conſerta, clericorum etiam honeſtis quaſi inflorata perſonis lætabunda confluit, & commune patrocinium devota requirit. Nam quaſi parum eſſe deſiderio devotorum Deus proſpiceret, ſi ſemel tantum in anno ſolemnitatem ejuſdem Patris fideles coluiſſent: exiſtere cauſas præſtitit, quibus & alias ſolemnitates, gaudio Chriſtianorum adaugeret. De ſancta videlicet illius Translatione, nec non & Tu-

mulatione, quas divinitus eſſe diſpoſitas multa ſignorum documenta produnt. Quo videlicet in loco tanta, ut ita dixerim, tam multa miracula, & in ſcriptura referuntur geſta, & ſub oculis patrata dignoſcuntur, ut ipſorum fulgor etiam quoſque remotos ad ejus reverentiam excitare potuerit. Quæ licet inſtante jam tempore Antichriſti, cujus faciem (ut ſcriptum eſt) præcedet egeſtas, ceſſare videantur, præſtantior tamen ſanitas animæ ſemper ejus meritis obtenta præbetur. Ceſſare autem divina miracula vel ibi, vel alias, noſtrorum enormitas peccaminum facit, qui poſt revelatam Chriſti gratiam retro ſumus converſi.

De ipſo quippe Domino Jeſu Chriſto perhibetur, quia propter obcæcationem infidelis populi nullam in Capharnaum potuerit patrare virtutem. Nos ergo non ſumus digni, ut illo favore ſanctus iſte Pater nos foveat, aut conſolari dignetur, quo ſibi placitos alumnos lætificare conſuevit. Hoc ſolum quippe magnum nobis debet videri; quod talibus præſtat, ut ejus ſanctæ ſolemnitati poſſimus intereſſe, & de ſpe miſericordiæ ejus gaudere. Nec minor eſt ejus potentia vel pietas, quam ſi miracula frequentaret. Sed nimirum neceſſe eſt, ut per omnem Eccleſiam ceſſantibus ſignis manifeſtetur, qui ſint illi qui univerſalem fidem propter præſentia miracula, vel qui propter futuram beatitudinem colunt. Quin & imminente jam terribili judicio, ſequaces Antichriſti ſigna potius facient, ut coram eis qui voluntarie peccant (ut ſcriptum eſt) offendiculum ponatur. Necdum tamen eadem miracula penitus adhuc deſunt, quoniam & ad ſacroſanctum ejuſdem Patris ſepulchrum, & in aliis beatæ ejus memoriæ locis hæc etiam fieri non ignoramus.

Signorum ſane inquiſitoribus, qui unumquemque Patrem ſanctum vel potentem, vel impotentem ex raritate, vel multiplicitate eorumdem ſignorum arbitrantur, illa Dominica exprobatio conſideranda eſt, qua dicit: Generatio mala & adultera ſignum quærit. Et illa præconis ipſius exprobrando di-

dicentis: Judæi ſigna petunt, quos alias Deo odibiles non tacet. Herodes autem, qui (ut ſcriptum eſt) cupiebat aliquod ſignum ab eo videre, nec in modico quidem, ejus reſponſionem dignus fuit audire. Centurionis autem fidem omni Iſraeli prætulit, qui ad ſervi curationem ſolam ejus juſſionem ſufficere non dubitavit. Hæc exterius inſeri quorumdam tepiditas exigit, quorum devotio ceſſantibus ſignis frigeſcit. Porro eidem Beatiſſimo Patri ſua prærogativa admodum ſufficit, qui tantopere fulgoris emicat, ut etiam remotiſſimos totius Chriſtianitatis ſinus radiis ſuæ beatitudinis illuſtret. Nec monachorum cohortes ubique terrarum diffuſæ, tantam ejus celſitudinem ignorant, qui ſanctam ipſius inſtitutionem præ ceteris ſectantur. Ita ut etiam in ipſorum Patrum cænobiis, qui normam ſancti propoſiti fideliter ac religioſe promulgarunt, hanc proprii clientes eorum malint profiteri. Non immerito arbitrantes, quod hunc ſpecialiter, tanquam alterum Moyſem Deus prædeſtinaverit, per quem monaſticæ legis decreta ſanciret.

Fuerunt quidam alii, ſicut jam dictum eſt, ejuſdem ſanctæ Inſtitutionis decretores: ſed tamquam Moyſi, huic quoque dicatur: Novi te ex nomine. Iſte eſt, qui in hac cæleſti diſciplina placidius effulſit: Nam, & ante Moyſem, ſacrificiorum cæremoniæ, & Circumciſionis ritus frequentiſſimo viguit uſu, qui tamen ſpecialiter per eundem Moyſem inculcatus eſt.. Sic ergo, & huic beatiſſimo Legislatori non præjudicent alii Patres, qui ſanctæ Regulæ munia deſcripſerunt: ſed magis ut aſſertores ejus ſancita confirment. Neque enim abs re Sanctus iſte Moyſi comparatur, quandoquidem pauca magnalia pene ſimiliter ab utriſque geruntur.

Myſterii itaque majeſtate ſeparata, qua ſub Moyſe omnia in figura contingebant, de cetero multa reperies, quæ ſimilia, tamquam ſub uno ſpiritu geſta noſter iſte patravit. Et hoc equidem privilegium utriſque eſt commune; quod

ambo

ambo ſunt legislatores. Ille querulas Hebræorum turbas de Ægypto exire ſuaſit: iſte vero, quaſi de genuinis carnalium deſideriorum tenebris, multas ex populo acquiſitionis catervas ſuo ducatu abſtractas, ad terram viventium introducit. Ille mare rubrum diviſit: iſte poſt Petrum inuſitato miraculo diſcipulum equidem ſuper aquas currere fecit. Dum plane in utroque facto liqueat rerum obſtare naturam, videris quid horum præcelleat. Utrum, vel æquale ſit, aquas diviſiſſe: aut ſuper eas ſicco veſtigio cucurriſſe: Ille in exuſtis aruis aquam ſitienti populo de petra produxit: iſte de ſicca rupe fontem uſibus monachorum elicuit; qui hodieque in rivum fluit. Ille brutos mores Judæorum, quos incredulos vocat & rebelles, virga legis coercuit: iſte monachorum gregem, ſicut voluntarie auditu auris obedientem; quaſi una perſona propter unum cor alloquens, filium nominat, & ſuavi jugo Chriſti ſupponit.

Multa dici præterea poſſent, quibus iſtarum perſonarum convenientia patuiſſet. Et hunc quidem beatiſſimum Patrem legislatio ſpecialiter Moyſi comparat. Sed magnitudo virtutum, atque ſignorum, quibuſque etiam excellentiſſimis viris conſertum nihilominus oſtendit. Sicut ille mirabilis ejus vitæ relator, Papa videlicet Gregorius, adſtruit, qui adſignanter ex quibuſdam factis ipſum aliquibus nominatim expreſſis coæquat, dicens intur cætera: Nam in aqua ex petra producta, Moyſem; In ferro vero quod ex profundo aquæ rediit, Eliſæum; In aquæ itinere, Petrum; In corvi obedientia, Eliam; In luctu autem mortis inimici, David video, & perpendo. Vir iſte ſpiritu Juſtorum omnium plenus fuit. Qui & in dono prophetiæ, & in dignoſcendis hominum cogitationibus, atque in ſecretorum agnitione judiciorum, valde eum perſpicacem fuiſſe non tacet. Poſtremo, quod inter plurima ſuperni muneris Kariſmata adprime diſertus fuerit; & quod monachorum Regulam ſermone luculento, & diſcretione præcipua ſcripſerit, lætabundis

dis auribus eorum narrat. Lætabundis, inquam, quia grande gaudium quibuſque ſanum ſapientibus hoc adfert: quod eis ſuperna providentia talem ac tantum ducem, ac præceptorem conſtituit, quem ad promulgandam cæleſtis diſciplinæ legem dignum & idoneum totus mundus agnoſcat. Gaudent ergo, & quaſi prævium ſequentes de ejus nutu pendent, & cordis aciem in eum defigunt. Gaudent, quia per ejus magiſterium ad cæleſtis militiæ tyrocinium ſunt aſciti. Sperant ſub ejus ducatu militantes ad ſuperni Regis palatium intromitti. Et quod ſuis meritis nequaquam præſumunt, ejuſdem ſui ducis interceſſione adipiſci confidunt. Ad hanc itaque lucernam, quaſi in caliginoſo vitæ hujus ſtadio micantem ſubinde reſpiciunt, & in ipſa vident, quo greſſum operis tendunt. Lucerna eſt igitur Beatiſſimus Benedictus. Lucerna, inquam, ad hoc ſuper candelabrum poſita, ut ardens & lucens, ſicut de ſuo Præcurſore Veritas adteſtatur, omnibus, qui in domo Dei ſunt, reſplendeat. An & iſte ſuperno amore non veheementer arſit? An & iſte cum verbo & opere, tum ſignorum ſplendore non reluxit? Eſt igitur lucerna. Sed qualiter eumdem præceptorem ſuum, immo & Dominum legiones monachorum decentius adpellabunt? Dominum, inquam, ſiquidem & Elias, dictus eſt Dominus Eliſæi; ergo pietatis affectu vocetur lucerna. Sed quaſi parum eſt vocetur etiam ſtella. Non tamen qualiſcumque ſed talis quæ erudiens multos ad juſtitiam, refulgeat juxta illud Danielis, in perpetuas æternitates. Vocetur etiam Sol, quia fulgebit ſicut Sol cum Juſtis & nunc in Eccleſia, & tunc in Regno Patris eorum. Vocetur etiam Angelus, quia legem requirunt ex ore ejus. Poſtremo videant & gaudeant, quam proprie vocetur Benedictus, quem Deus adeo benedixit in omni benedictione ſpirituali; & per quem tanti benedictionem hæreditate poſſidebunt.

Fateor enim quod ejuſdem Patris dilectoribus adeo placet tali vocabulo cenſeri, quod ſolet maxime poſt divinum nomen

men more Chriſtiano verſari. Quis enim pie loquens, aut Benedictum aut benedictionem ſub quolibet obtentu non dicat? Cœterum laudes ejus reſonare, talibus utcumque congrueret, qui juxta Apoſtolum ſciunt, quæ eſt ſpes vocationis Dei. Videlicet, & illius vocationis, qua non ſolum cum aliis Chriſtianis communiter ad fidem vocati ſunt: ſed etiam ad ſubeundum celſiorem gradum per eumdem Patrem inſtitutum, qui in vacuum gratiam hanc nequaquam accipiunt, ſed quæ a Deo donata ſunt norunt. De quibus propter cor & animam unam ſub unius populi vocabulo Deus dicit: Obauditu annis obaudiunt mihi, quem nimirum in Sanctis ejus laudare jubemur. Sed quales eum laudare debeant, Scriptura non tacet dicens ad ipſos: Qui timetis Dominum laudate eum. Et item: laudabant Dominum, qui quærunt eum. Quo contra: Non eſt, inquit, ſpecioſa laus in ore peccatoris. Quid ergo de nobis cenſendum eſt, qui ſupra modum peccatores ſumus & laudes ejus attemptare præſumimus? Sed divinæ pietatis divitias attendentes de ejuſdem indulgentiſſimi Patroni miſericordia præſumimus.

Denique eadem Scriptura, quæ in perſona juſtorum dicit: laudent eum cœli, mox ſubjungit, & terra; ne peccatores deſperarent. Nam adeo miſericordiam ſuam Deus multiplicat, ut non ſolum homines, ſed etiam jumenta ſalvet. Ergo & nos de ejuſdem Patris laude licet indigni gaudeamus. Et quamvis non ſit nobis os aperire præ confuſione, tamen illud Moſaicum unuſquiſque noſtrum eidem dicat: Scio quia miſericors es, Domine. Cum metu & ipſe præſtolantes, utrum ſicut regibus conſuetudo eſt, ut in ſuis Natalitiis reos abſolvant, ſic iſte princeps Dei propter gaudium ſuæ ſanctæ ſolemnitatis vincula noſtra relaxet. Siquidem & illud occurrit memoriæ, quod inter pretioſa filiorum Iſrael munera etiam & pilos caprarum quidam detulerunt. Et quia per illos peccatorum confeſſio deſignatur, ſaltem vel hoc unum offeramus. Verum ſi deeſt aurum ſa-

pien-

Digitized by Google

pientiæ, ſi argentum rite laudantis eloquii, ſi diverſarum virtutum gemmæ, poſtremo ſi caſtitatis byſſus miſeris abeſt, vel prædictos caprarum pilos offeramus, quia forte & ipſi cum veraci confuſione placebunt. Veraci ſcilicet, quia quem adhuc ex conſenſu peccare delectat, falſum eſt, quod de præteritis vere pœniteat. Ut autem quiddam de humano uſu loquamur, ſi quando paterfamilias poſt tempus domum ſuam revertitur, omnis familia ſolet adgaudere, cum quidem & catelli exilientes quodam geſtu membrorum ſe monſtrant lætari; qua propter & nos licet jumentis inſipientibus merito ſimus comparandi, tamen ſi ob iſtius honorem ſolemnitatis, quæ eumdem noſtrum Dominum nobis quodammodo repræſentat, gaviſi fuerimus, vel micas miſericordiæ ejus ſperare quaſi catuli ſub menſa poterimus. Et hoc non ex nobis, ſed ex bonitate Evangelici Regis, qui cæcos & claudos ad convivium ſuum dignatus eſt aſciſcere. Bene ergo nobiſcum agitur, quod idem paterfamilias nos ſuis ſolemniis intereſſe non dedignatur. O quanti ſunt etiam in remotiſſimis trans maria regionibus, qui tantopere gauderent, ſi eis vel ſemel ad ejus ſacrum tumulum accedendi poſſibilitas eſſet! unde etiam conſiderandum eſt, quid a Deo nobis donatum ſit, ne forte ſi ejus præſentiam minus reverenter ſenſerimus, aut infecto corde (quod abſit) in conſpectu ejus vacui venerimus, dicat ipſe propheticum illud: Non eſt anima mea ad populum iſtum; & item: Prope es tu ori eorum, & longe a renibus eorum. Propterea cum ad exemplum Evangelici illius Regis intraverit ut videat ſolemnizantes tanquam diſcumbentes (nam cum ſpiritu Dei plenus ſit, & nihil eſt in creaturis Dei, quod eum latere poſſit) quiſquam noſtrum procuret, ne forte paternos ejus oculos cordis amictu vel corporis offendat.

Nam ut ipſe dicit: Omnis exaltatio genus eſt ſuperbiæ, per quam maxime quiſque fit abominabilis, ut ſcriptum eſt, apud Dominum. Meminerimus tamen, quia ad ſupernum

 Judi-

Digitized by Google

Judicem, vel ad Senatores cœli placandos recogitatio, ſeu confeſſio peccati ſpecialiter proſit juxta illud: Narra ſi quid habes, ut juſtificeris. Iniquitatem meam, inquit, ego agnoſco. Et ideo quaſi ſecurus poſtulat: Averte faciem tuam a peccatis meis. Quiſquis vero noſtrum vult ſui meriti faciem contemplari, neceſſe habet, ut hoc ſpeculum intendat, ideſt, ut ejuſdem Beatiſſimi Confeſſoris actus ſollicitus perpendat. Inſpectis etenim, prout noſtra parvitas eſt, illius geſtis, vel quantum nos in imo, vel quantum ipſe in ſublime ſit animadvertere poterimus. Hinc de quolibet pœnitente ſcriptum eſt: Reſpicit homines, ideſt ſanctos, & dicet: Peccavi. Quoniam ad illorum ſpecioſitatem conſiderat, quantum ſe deformem attendat. Quæ utilitas autem de eadem confeſione proveniat, ibidem ſignatum eſt, cum dicitur: Liberemus eum de ſuperbia, & de his quæ fecit, ut non eat in perditionem. At vero quia Scriptura jubet; Sanctus enim dies Domini eſt, nolite contriſtari: quod ex nobis, vel in nobis triſte eſt omittamus, & quaſi nobiſcum ſit hodie ſponſus, gaudere præſumamus. Minus vero noſtræ confeſſionis, velut ante pedes paternæ pietatis offerentes, noſtrum noſſe in ejus laude & admiratione totum ſublevemus. Ejus vero laudes quiſque tanto celſiori voce clamet, quanto hunc ardentius amat, vel ejus vitam perſpicacius penſat, quæ nimirum a ſui primordio, tota admiratione digniſſima eſt. Nam quam magnificum illud eſt, quod paternas, ut fertur, eo deſerente apes, admodum domicilium ſibi Spiritus Sanctus in ejus ſacro pectuſculo collocaverat, qui eſſe philoſophorum inania ſtudia adhuc tenerrimus cognovit, qui grandævo animo jam tunc eremi vaſtitatem ſubire auſus eſt. Quod nec ipſe quidem Martinus, toto orbe mirabilis, feciſſe refertur. Et quia jugum non ſolum ad adoleſcentia, ſed etiam ab ipſa infantia portavit, ut ibidem Jeremias proſequitur, in illo cœleſti Capitolio ſingulariter ſedebit. Nec ſine divino moderamine geſtum fuiſ-

ſe

ſe conſtat, quod aculeos temptationis in ſe ſe tam validos ibidem expertus eſt. Sicut enim dux bonorum Petrus primo ſibi oſtenſus eſt, tunc dominico gregi prælatus; ſic iſte princeps Dei, tantorum millibus monachorum præferendus, oportuit, ut proprio diſcrimine probaret, qualiter ſubditis miſereri debuiſſet. Quia tamen primo certaminis impetum fortiter devicit, tale quid deinceps numquam ſenſit. Quam obedienter ſane, & quam diſerte privato bono quiſque debeat comune bonum præferre, hic ſpiritalis diſciplinæ magiſter in hoc ſuo facto demonſtrat. Quod mox ut expetitus eſt, dilectam ſolitudinem, ſe vincens deſeruit, & voto ſupplicum ſatisfecit. Quoniam vero ſancta, atque admiranda ejus geſta in promptu habentur, nos interim taceamus de illis. Hoc tamen ad ipſius honorificentiam referamus, quod non alius quilibet ex magiſtris Eccleſiæ vitam tanti Patris digeſſit, quam inſignis ille diſertiſſimus Papa Gregorius, qui totum quod ſcripſit, quaſi aurum refulget. Divinitus enim diſpoſitum eſt, ut quum iſdem excellentiſſimus Legiſlator in ceteris modis ſit a Deo decoratus, etiam hinc majori auctoritate, tam ipſe, quam legiſlatio ejus roboretur: quod eamdem vitam ſummus Apoſtolicæ Sedis Pontifex ordinavit; quæ ſcilicet vita etiam ex occaſione Dialogi ejus pluribus innoreſceret; & non ſolum apud Latinos, ſed etiam apud Græcos notiſſima foret. Nec illud prætereat, quod omnimodis gaudendum nobis eſt, hunc tantum ſplendorem in hanc noſtram occiduam regionem venire, divino nutu donatum eſſe. Nec abs re credimus contigiſſe, quod clientem unice dilectum Beatum videlicet Maurum, has in partes adhuc vivens direxerit, & demum ſe transferri voluerit. Forte enim quum ſancta mens ejus adeo dilatata eſſet, ut omnem mundum ſimul conſpiceret: hunc locum ſibi quodam occulto conſilio ſpecialiter delegavit. Viderit ergo quiſquis eſt, cui locus tam multis uſquequaque tantum deſiderabilis non negatur, quanti habendus ſit,

quantaque reverentia excolendus. Pondus quippe cujuslibet reatus, non ſolum ex intellectu gerentis, vel tempore, ſed etiam ex loco ſolet penſari. Hinc enim velut a majori exprobratione contra impium vox divina queritur, dicens: In terra ſanctorum inique geſſit, & non videbit gloriam Domini; & item: Dilectus meus in domo mea male operatus eſt. Alioquin cuem præſentia tanti Patris ad ſui reverentiam non flectit, ſpiritum Judæ videtur participare; cujus duritiam, nec viſio, nec locutio, nec convivium ipſius Domini emollivit. Inſpiciamus ergo, quid a Deo donatum eſt nobis: & oblatam gratiam nullatenus in vacuum recipiamus. Tantus fulgor cæcitatem mentis noſtræ illuminet. Tanta pietas duritiam emolliat. Tam potens medicina vulnera noſtra ſanet. Si enim adhuc puerulus ita capiſterium reparavit, ut nec ſciſſura quidem appareret: Nos, qui vaſa ad honorem in domo Dei per gratiam vocati ſumus, quia multas peccatorum ſciſſuras incurrimus, per eumdem medicum, qui jam ſuo regi ſociatus eſt, reparari poterimus. Si nigredo ſcelerum nos decoloravit, non ſimus ut Æthiopes, qui non mutant pellem ſuam: ſed ad ejus manum recurrentes, annonam miſericordiæ, ſicut ille corvus, ab eo requiramus. Si etiam inter injurioſos merito computandi ſumus, illum tamen affectum, quo pro ſe odiente flevit, ab ipſo repoſcamus. Neque enim ſupplices, quamvis indignos, adverſabitur: qui pro perſeverante in malitia lugebat. Gaudeamus ergo, & erga Dominum noſtrum, quo valemus adniſu, dilectionis adfectum exhibeamus. Nam idcirco dimiſſa ſunt Mariæ peccata multa, quia dilexit multum.

Ceterum ad laudes ejuſdem principis Dei ſemper, juxta Pſalmiſtam, adjicere cuiquam deſiderandum eſt, ſed affectum quidem exhibere poſſumus, perfectionem vero tantæ rei nequaquam explere ſufficimus. Quapropter eaſdem illius laudes, non una vox, non una congregatio, neque una

urbs,

urbs, vel provincia proclamat; ſed ubicumque Sancta Ecclesia diffunditur, per tribus, per nationes, per linguas laus Benedicti frequentatur. Si enim in multitudine populi dignitas regis eſt, ut ait Salomon, quantam putamus eſſe dignitatem iſtius regis, quem tam numeroſus proſequitur exercitus monachorum? Quis unquam Rex, aut Imperator in tantis mundi partibus imperavit, aut ex tam diverſis nationibus ſibi tantas legiones conduxit, quantas videlicet iſte cujuslibet ſexus, & ætatis, in Chriſti militia voluntarie juratas diſponit? quem quaſi præſentem intuentes, & vexillum inſtitutionis ſequentes, diabolicas acies viriliter infringunt. Quibus illud propheticum coaptatur: Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Denique fidelis opinio eſt, quod unuſquiſque Sanctorum cum illis ſurget in regeneratione, quos Domino acquiſivit. Cum igitur univerſi hujuſce inſtitutionis ejus ſequaces in unum coacti fuerint, quale ſignum Apoſtolatus Benedicto tunc ille copioſus exercitus ſe ipſum exhibebit? & quali gaudio tunc ille tripudiabit, qui ſeſe illis cohortibus immiſcere potuerit? Nunc omnes vel loco, vel affectu vicini, in eum cordis intuitum dirigant; omnia enim omnibus factus eſt. Habent enim pueri formam in puero, quam ſequantur, ut quoniam ad exemplum Iſaac Deo oblati ſunt, primordia ſua caveant fermentare. Ac deinceps quique per ætatum ſucceſſiones, ſint perfecti ſenſu, ut a paterna ſui nutricii pietate non degenerent: ne forte ſi ab excellentiori gradu ceciderint, gravius elidantur. Sed & nos quicumque deliquimus, nullo modo ab ſperanda clementia deficiamus, quia vivens, & poſt obitum mortuos ſuſcitavit, confracta reſtauravit, deſperata curavit.

Et quamvis non fecerimus ejus voluntatem, Dominum tamen invocemus eum, & ſint oculi noſtri in manibus ejus intendentes; donec ipſe ſuos attollat ſuper nos, & miſereatur noſtri. Sit nobis ſemper Benedictus in corde, Benedictus in ore, Benedictus in actu, quatinus ſi qua virtus, ſi

qua

qua laus diſciplinæ, ut illud Apoſtolicum imitantes, quæ vidimus in illo, & audivimus in illo, & audivimus ab illo, ſectemur, ut nobiſcum ſit Deus pacis per ipſum in ſæcula ſæculorum. Amen.

Sermo Aymonii Floriacenſis Monachi.

IN annuis terrenorum Imperatorum Natalitiis moris quondam fuit a ſubiectis Regibus maxima eis exhiberi donaria. Studebat igitur unuſquiſque pro ſe, & ne alter in offerendis muneribus potior eo videretur, elaborabat. Quo exemplo conducet unicuique noſtrum in ſolemnitatibus Sanctorum placabilia Deo offerre munera, & cui deeſt auri vel argenti copia, ſaltem devotionis prætendat obſequia, fundat preces ad Dominum, ut ſuum rite dignetur acceptare votum, & quamvis non ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris, tamen unuſquiſque noſtrum ſtudere debet, ut, juxta Pſalmographi monitum, in ſanctis ejus laudet Dominum. Quapropter amantiſſimi Patroni noſtri Benedicti manſueta benignitate inducti, qua nos ſuis ſanctis interventionibus adjuvare non deſiſtit, dignum duximus univerſa, quæ de ipſius laude a diverſis Auctoribus paſſim deſcripta ſunt, ſummatim in unum colligere, & quaſi quoddam munus noſtræ ſervitutis in ejus ſacris ſolemniis licet exiguum tamen fidele perſolvere, ut & apud quamplures laus ejus dilatata pateſiat, & qui omnia volumina Auctorum habere nequiverit, præconia alumni ſui in unum collecta ſe inveniſſe gratuletur. Hoc ergo promiſſæ rei erit exordium.

Supernæ dignatio majeſtatis electos ſuos cœleſtibus munerans donis in terris quoque eximiis laudum ditat præconiis. Quæ per ſervos ſuos ſummæ ſcilicet eloquentiæ viros dilatans in populis, quam magni apud ſe ſint meriti facundis elucidari præſtat ſcriptis. Unde egregii meriti famulum Benedictum

ctum tanto præ ceteris ſanctæ Eccleſiæ Patribus donavit privilegio, ut ejus vitæ laudes non quilibet Scholaſticorum, verum præcipuus Doctorum Gregorius Sanctæ Sedis Apoſtolicus mellitis dilatarit eloquiis. Et multorum quidem Sanctorum duo aut tria defloravit miracula, hujus autem qualis ab ineunte ætate fuerit vita, quamque mirandum habuerit tranſitum, dulciſſima promulgavit facundia. In cujus vitæ libro inter alia hujus Sancti præconia eum aliquibus antiquis Patribus æquiparat, in quibuſdam miraculorum geſtis: inter ceteros vero ſancto Prophetæ Eliſæo illum comparat in ferro, quod ex profundo aquæ ab utriſque retractum memorat. Verum nos ſalva ipſi ſancto Papæ Gregorio ſua auctoritate liceat dicere ipſius ſancti Prophetæ Eliſæi geſta ſancti Patris noſtri Benedicti geſtis pene per omnia ſore ſimilia. Liceat igitur nobis aliquid de ambobus quaſi concionando ſermocinari. Interrogatus in Evangelio a diſcipulis Dominus de adventu Eliæ reſpondit: Elias jam venit, & paulo poſt: ſi vultis ſcire, Johannes ipſe eſt Elias. Apparet itaque cujus meriti Elias fuerit, cum Johanni æquatur, de quo ipſa Veritas teſtatur: quod inter natos mulierum nemo major eo ſurrexit. Is ergo cum rapiendus eſſet a Domino in cœlum habens Eliſæum diſcipulum, monuit eum, ut peteret quod vellet, & priuſquam ipſe transferretur. Ad hæc ille: Peto, ait, ut fiat ſpiritus tuus duplex in me. Annuit ille, ſi tamen videris, inquit, quando tollar a te. Vidit igitur, & quæ petiit, impetravit. Hæc idcirco retulimus, oſtendere volentes quam magni meriti ſanctus iſte Pater noſter beatus exiſtat Benedictus, cujus opera illi ſunt per omnia ſimilia, qui ſpiritum Eliæ ac per hoc Johannis Baptiſtæ duplici enituit gratia; cujus acta Eliſæi videlicet cum actibus venerabilis Benedicti comparata in hunc modum viſuntur ſe habentia. Eliſæus poſt translationem Magiſtri pallio quod illi ceciderat, Jordanem diviſit, & tranſiit; beatus Pater Benedictus dilectum diſcipulum ſuum Maurum

ſuper

ſuper aquas ſui meriti virtute ambulare faciens Placidum puerum jam demerſum ad vitam reduxit . Quid horum præcellat non eſt hujus operis differere , maxime cum a Venerabili Odone , hoc miraculum Moyſis operi in diviſione maris rubri comparatum propriam habeat expoſitionem . Hoc breviter intimaſſe ſufficiat : per Eliſæum unum in diviſione aquæ patratum ſignum ; per Beatum Benedictum in calcatione æquoris , ac ſalvatione fratris duplex arripuiſſe beneficium . Ibi veſtis cooperta eſt Magiſtri , hic ereptus puer melotam Abbatis ſuper ſe ferri , ſeque ab ea aquis erigi conſpexit . Revertenti Eliſæo a translatione Eliæ filii Prophetarum etiam ab invito exigunt, ut Dominum ejus quærere eis liceat ; ne forte in unam vallium , aut in quemlibet montium translatus lateat . Quæſierunt ergo ſed minime repererunt ; e contra Beatus Pater Benedictus pro Dei amore conſortia linquens hominum , & concava petens rupium a Presbytero divinitus monito per deſoſſa terrarum , per prærupta quæſitus montium , & repertus, quod Paſcha eſſet , eſt edoctus , & alimentis refectus . Aſcendentem ad montana Eliſæum pueri cavillantes deridebant dicentes: Aſcende calve , aſcende calve ; Benedictum Patrem ad ſuperna magis , ac magis animo ſuſpirantem , Dæmones , qui utique in bonitate infantes ſunt , maledictis laceſſebant dicentes : Maledicte , & non Benedicte , quid nobiſcum habes ? quid nos perſequeris ? Verum deriſores pueros egreſſi de ſilva urſi devoraverunt ; maledicos Dæmones æternæ gehennæ ignes perpetuo adurunt. Tribus Regibus, Rege ſcilicet Iſrael, & Rege Juda cum Rege Edom , adverſus Regem Moabitarum expeditionem agentibus , & ſiti laborantibus , juſſit Eliſæus in ſiccato torrentis alveo facere foſſas, e quibus aqua progrediens fatigatum ſatiavit exercitum ; Venerabilis Benedictus monachis , ex tribus Monaſteriis a ſe conſtitutis, atque pro penuria aquæ ad ſe venientibus præcepit cavare rupem , ſuper quam tres a ſe impoſitos inveniſſent lapides .

Quo

Quo facto fons continuo prodiit, qui hodieque in rivum fluit. Mulier quædam a creditore viri ſui jam defuncti calumniam patiens, virum Dei adüt Eliſæum, conſilium ab eo, ſimulque auxilium expetens; cujus meritis oleum, quod mulier ſe profeſſa fuerat habere, in tantum excrevit, ut & debitum creditori redderet, & ipſi unde cum filiis viveret, abundanter remaneret. Eodem modo dilectum Domini Benedictum quidam adiit ære preſſus alieno, duodeno ſcilicet ſolidorum numero: cui pius Pater ſubvenit, tredecim ſolidos ei conferendo, quos divinitus ſuſceperat, dans in mandatis, ut duodecim fæneratori redderet, tertiumdecimum ad uſus proprios retineret. Itemque vaſe vitreo petenti clerico cum oleo dato, ad ejus orationem dolium vacuum ita replevit, ut ſuperexundans pavimentum madefaceret. Eliſæi virtus Sunamitis filium ab inferis, orando revocavit ad vitam; Venerabilis Benedicti meritum ruſtici puerum ſanctis precibus, patri reddidit vivum. Commorante Eliſæo in Galgala cum filii Prophetarum cum eo degentes mortiferum quid deguſtaſſent coctum in olla, ipſius medicante manu evaſerunt mortis diſcrimina; nihilominus Benedictus Pater oblatum ſibi a falſis fratribus veneni poculum per crucis ſignaculum redegit in nihilum. Puerum quoque, qui flaſconem a fideli viro ſubmiſſum furtim abſconderat, prophetico ſpiritu peſtem ſerpentis, qui jam illud vas intraverat, ut vitaret, edocuit. Tertia in hoc uno Eliſæi facto Sancti Patris noſtri Benedicti virtus enituit, quando infectum veneno panem, ne peſtis ad plures ſerperet, per corvum longe projecit. Ecce quanti apud Dominum meriti rutilans monachorum gemma exiſtat Benedictus, luce clarius patet, qui in uno illius actu, quem Sanctus Spiritus duplici veſtierat dono, quadruplici effulſit miraculo. In effuſo ſcilicet veneno, in flaſcone cum ſerpente detecto, in obediente corvo, in pane mortifero longius projecto. In quibus mirabilibus, quamvis & aliis poſſit æquari Patribus, præ-

 cipue

cipue ſancto Eliæ; noſtri tamen hoc ſolum exiſtit propoſiti, vitam hujus Sancti actibus conferre juſti Eliſæi. Nempe Eliſæus de viginti panibus, eſum centum viris præbuit, paniſque ſuperfuit; Benedictus Dei famulus fratribus inopia laborantibus, collatione ducentorum modiorum farinæ, incertum unde advectæ, divinitus ſubveniri obtinuit. Laboranti Naaman Syro peſtifera lepræ contagione, ab Eliſæo præceptum eſt, ut lavaretur ſepties in Jordane. Ivit igitur, lavit, & mundatus ad Syriæ regna regreſſus eſt. Puer autem quidam parvulus elephantino morbo percuſſus, ad Dei hominem Benedictum eſt adductus, qui priſtina ſanitate recepta incolumis remeavit ad propria. Alter quoque, qui hautu veneni, varietatem incurrerat cutis, per eumdem virum Dei Benedictum, antiquæ redditus eſt formæ. Giezi puer viri Dei Eliſæi per ſpiritum prophetiæ deprehenſus ſuſcepiſſe a Naaman veſtes, & munera, ipſius etiam donatus eſt lepra. Monachus quoque hominis Dei Benedicti itidem ſpiritu Dei agnitus, a ſanctimonialibus mappulas accepiſſe, ſibique eas in ſinum miſiſſe; mox confeſſa culpa, non pœna, ſed indulgentiſſima donatus eſt venia. De ferro, quod ex profundo aquæ rediit, nobis tacendum, ut ſummo Præſuli Gregorio congruus honor exhibeatur, qui hunc Beatiſſimum Patrem noſtrum Benedictum in hoc ſigno huic ſancto exæquavit Eliſæo. Porro quod Eliſæus conſilia Regis Syriæ prophetico ſpiritu, Regi Iſrael per internuncios denunciavit, aſſimilatur ei rei, cum Venerabilis Benedictus ad Fratres, qui parietem conſtruebant, mittens, monuit, ut ſibi caverent, quia malignus ſpiritus inſidians ad eos veniret. Sane Eliſæus a Syris obſeſſus, Angelorum exercitum ſibi cœlitus in auxilium miſſum, non videnti miniſtro oſtendit; noſter Benedictus, licet & in diſſimili re, ſimile quid egit: dum dilecto diſcipulo ſuo Mauro, immundum monſtravit Dæmonem, ab oratorio monachum educentem. Eliſæus Syros ſe obſidentes, excæcatos in Samariam, ad Regem

gem Iſrael deductos , non ſolum occidi non paſſus eſt : verum priſtino viſui reddidit , pane , & aqua pavit , atque ad ſua redire permiſit . Venerabilis Benedictus ſævientem Zallam , ſibique pertinaciter minitantem , ſolo viſu terruit, cibo refecit , & ut deinceps minus crudelis eſſet , ſolo verbi præcepto effecit . Eliſæo prædicente Regi Iſrael famem , quæ Syris obſidentibus Samariam , populum preſſerat , abundantiam frumenti ſecuturam : cum unus Ducum , ſuper cujus manum Rex incumbebat, incredulus ac rebellis Prophetæ exiſteret , hæc ab eodem viro Dei audivit : Videbis, inquit , & exinde non comedes . Qui in incredulitate permanens juxta verbum hominis Dei, ſufficientiam alimentorum vidit , & in introitu portarum oppreſſus a populo interiit . Haud multum diſpar huic cauſa extitit , cum quidam Clericus a Dæmonio per Benedictum Jeſu Chriſti Domini famulum liberatus , mandatum ab eo accepit, ne carnem comederet, neve ad ſacros ordines accedere auderet: quod ſi præſumeret , ſtatim juri Diaboli manciparetur . Qui in quantum ejus juſſa cuſtodivit , incolumis manſit . At ubi inobediens , & quaſi ori Dei incredulus , ſacris ſe ingeſſit ordinibus , mox pervaſus a Dæmone in eadem pœna permanſit uſque ad exitum vitæ . Azaele , qui poſt regnavit in Syria, conſulente Eliſæum pro ſalute Benadab Domini ſui, inter alia dixit vir Dei ad eum : Scio , inquiens , quæ mala facturus ſis filiis Iſrael ; civitates eorum munitas capies , prægnantes divides , infantes gladio interficies . Pari modo Rex Gothorum Totila ad Dei hominem Benedictum veniens , atque coram eo proſtratus , & ab ipſo de terra elevatus hæc ſibi dicentem audivit : Multa mala facis, multa mala feciſti, jam tandem ab iniquitate compeſcere . Et quidem Romam ingreſſurus es , mare tranſiturus , novem annis regnabis , decimo morieris . Et licet , uti jam prædictum eſt , noſtræ non fuerit intentionis , niſi ut actus Sancti Patris noſtri Benedicti cum actibus ſolummodo Beati con-

K 2 ſer-

ſerremus Eliſæi : tamen , quia mentio Regis Totilæ opportunam præbuit occaſionem , congruum viſum eſt , de quodam alio ſancto Propheta dignum memoria retexere verbum , quod collatum aſſimilari poſſit uni operum hujus ſancti Confeſſoris . Denique uxor Jeroboam , qui peccare fecit Iſrael , conſultura pro filio ſuo ægrotante, Achiam prophetam, qui caligantibus præ ſenectute oculis, videre non poterat, adiit, mutato habitu, ne agnoſceretur quæ eſſet. Quam venientem Venerabilis Propheta non carnalibus, ſed ſpiritualibus intuens oculis ait ad eam: Ingredere, ingredere uxor Jeroboam; quare te eſſe alium ſimulas ? Huic rei illud eſt ſimillimum , quod cum Regi Totilæ nunciatum foret , virum Domini Benedictum prophetiæ habere ſpiritum , hoc ipſum experiri volens, ſe quidem ad eum venturum eſſe mandavit: miſit autem ſpatharium ſuum , cui Rigo nomen erat , regiis indutum veſtimentis cum magna obloquentium caterva , ut tam ex veſtimentis , quam ex Ducum obſequiis Rex putaretur : cui advenienti occurrens Dei famulus , adhuc longius conſtituto clamans imperavit : Pone fili , pone , hoc quod portas , non eſt tuum . Quo cum rubore ad Dominum ſuum reverſo, ipſe Totila per ſemetipſum ad Dei hominem acceſſit , & quæ prædicta ſunt prophetiæ verba ab eo audivit.

Verum nos ad noſtrum redeamus Eliſæum , noſtrum utique , quia cujus opera , Sancti Patris noſtri Benedicti operibus ſunt ſimilia , hunc nos præ cæteris Prophetis dignum ducimus dilectione præcipua . Ultimum ergo ejus miraculorum , cum uno , ſed nequaquam extremo mirabilium venerabilis Benedicti comparemus . Nam cum idem ſervus Dei a præſenti exceſſiſſet vita ; poſt non longum tempus quidam ſepelientes hominem , viſis latronibus , projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſæi ; cujus tactu mox mortuus ſurgens ad propria rediit . Per Beatiſſimum quoque Benedictum, ac ejus venerabilem ſororem Scholaſticam dum ab Italiæ

par-

partibus, eorum ſacratiſſima oſſa gaudenti inveherentur Galliæ, duo mortui vitæ ſunt redditi. Et hæc quidem, quæ retulimus, B P. N. Benedicto & S. Prophetæ Eliſæo communia ſunt. Veremur equidem ne a quolibet amatorum hujus egregii Confeſſoris nobis objiciatur, quod dum eum laudibus extollere cupimus, extenuaſſe viſi ſumus, cum eum uni ſolummodo Prophetæ comparavimus. Verum quiſquis ille erit, ſciat & hoc ſibi reſponſum eſſe deputet. Non nos illum cuilibet ex Prophetis, ſed illi ipſum exæquaſſe, in quo duplex Eliæ requievit ſpiritus. Et ne objectio iſta nobis prævaleat, ſuccinctim, ſi placet, coæquetur tam novis quam antiquis Patribus. In reſtauratione videlicet capiſterii Joanni dilecto Domini, qui fragmenta gemmarum coniunxit in ſolidum. In converſatione eremi a pueritia Eliæ vel Baptiſtæ Joanni, qui ſummo progenitus Sacerdote maluit eremi deſerta incolere, quam Sacerdotis principatum tenere. In prophetia deſtruct onis monaſterii ſui, ſeu ſubverſionis Romanæ urbis Iſaiam, vel potius Hieremiam, qui ruinam urbis Hieroſolymorum duplici planxit alphabeto. Domini quoque ſui videlicet Redemptoris omnium Jeſu Chriſti imitatus exemplum in hoc facto eſt. Etenim benignus Jeſus odientis ſe Hieroſolymæ civitatis everſionem lacrymans prædixit; ejus autem verus famulus Benedictus dilectæ ſibi habitationis domicilia divinitus everſioni gentium tradita deflens ac ingemiſcens prænunciavit. Enimvero Eliam corvi quondam pavere miniſtri; B. Benedictum Patrem iter agentem ſunt circumvolitantes ſecuti. Eliæ ad ſolos ciborum miniſtraverunt uſus; Benedicto Patri non ſolnm in tranſportatione venenati panis, verum etiam in comitatu ſervierunt itineris. Comparetur, quia dignum eſt, in legislatione Moyſi, quamvis a Moyſe uni tantummodo genti lex data ſit, a venerabili Patre ubicumque per tribus per linguas per nationes electi Dei dilatati ſunt paterna manſuetudine filii appellati, ut ſuavi jugo Chriſti colla ſubmittant, admonentur.

tur . Et hæc quidem a nobis abbreviato modo loquendi dicta fautoribus tam inclyti Confeſſoris oramus haud quaquam diſpliceant. Ceterum ea, quæ a D. Gregorio deſcripta ſunt, ejus relinquimus excellentiæ. Hoc de nobis procul dubio profitentes nequaquam gloriam tanti Patris noſtris laudibus eo propagari, quo eam promulgavit dulcis eloquentia hujus Præſulis. Qui videlicet B. Papa, uti Johannes majoris ejus vitæ deſcriptor teſtatur, miſſis Anglorum genti prædicatoribus hujus manſuetiſſimi legislatoris inſtitutionem poſt ſanctum Evangelium præcipue obſervandam tradidit, quique in Dialogo ſuo poſt explanationem vitæ ipſius Sanctiſſimi Patris, quam ſecundo poſuit loco, in tertio volumine capitulo decimo ſexto quaſi quæ memoria exceſſiſſent, quædam de ipſo intulit, dum de quodam ſancto viro Martino nomine loqueretur, ita inquiens: „ Hic vir Domini (haud dubium quin „ Martinus) cum prius in eodem monte ſe contulit, nec „ dum clauſo ſpecu habitans catena ſibi ferrea pedem liga- „ vit, eamque ſaxo ex parte altera affixit, ne ei ultra li- „ ceret progredi, quam catenæ ejuſdem quantitas tendeba- „ tur. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus audiens, cujus „ ſuperius memoriam feci, ei per diſcipulum ſuum manda- „ re curavit: Si ſervus Dei es, non te teneat catena fer- „ rea, ſed catena Chriſti. Ad quam vocem protinus Mar- „ tinus eamdem compedem ſolvit, ſed nunquam poſtmodum „ ſolutum tetendit pedem ultra locum, quo hunc tendere „ ligatum conſueverat „. In quarto quoque volumine dum de exitu loqueretur animarum, miraculum quod in vita ipſius Legislatoris noſtri Benedicti deſcripſerat, quodque pro ſui magnitudine apud infirmorum mentes in dubium fortaſſis devenire poterat, recapitulando inferens, aliud quod minime retulerat, ſubjunxit. Ait enim capitulo octavo ita: „ In ſe- „ cundo hujus operis libro jam præfatus ſum, quod vir ve- „ nerabilis Benedictus, ſicut a fidelibus ejus diſcipulis agno- „ vi, longe a Capuana urbe poſitus Germani ejuſdem urbis

„ Epi-

Digitized by Google

„ Epiſcopi animam nocte media in globo igneo ad cœlum „ ferri ab Angelis aſpexit , qui eamdem quoque aſcendentem animam intuens , mentis laxato ſinu, quaſi ſub uno „ ſolis radio cunctum in ſuis oculis mundum collectum vidit. Eiſdem quoque diſcipulis B. Benedicti narrantibus didici, quia duo nobiles viri, atque exterioribus ſtudiis eruditi germani fratres , quorum unus Specioſus , alter vero „ Gregorius dicebatur , ejus ſe regulæ in ſancta converſatione tradiderunt . Quos iſdem venerabilis Pater in monaſterio , quod juxta Terracinenſem urbem conſtruxerat , „ fecit habitare : qui multas quidem pecunias in hoc mundo poſſederunt, ſed cuncta pauperibus pro animarum ſuarum redemptione largiti ſunt , & in eodem monaſterio „ permanſerunt. Quorum unus, ſcilicet Specioſus, dum pro „ utilitate monaſterii juxta Capuanam urbem miſſus fuiſſet, „ die quadam frater ejus Gregorius cum Fratribus ad menſam ſedens, atque veſcens per ſpiritum ſublevatus aſpexit , & vidit Specioſi germani ſui animam tam longe a „ ſe poſiti de corpore exire . Quod mox Fratribus indicavit, & cucurrit . Jamque eumdem Fratrem ſuum ſepultum reperit , quem tamen ea hora , qua viderat , exiſſe „ de corpore invenit „. Verum tamen a quodam hujus loci Sapientium, cui Gauzbertus nomen , haud mediocriter ſtudiis a pueritia liberaliter imbuto artium , hujus modi præfatiuncula vitæ hujus eximii Patris ſuperaddita eſt

„ Germine , doctrina , meritis , ac nomine clari
„ Abbatis vitam continet iſte liber.
„ Quem Deus æterna faciens in ſede potentem,
„ Heredem proprii nominis eſſe dedit.
„ Nam fuit eſt & erit Benedictus jure vocatus,
„ Ut relegens ejus geſta probare vales.
„ De quibus ut nulli dubitare liceret homonum,
„ Eximium teſtem promeruere ſui.

„ Ro-

„ Romanæ ſedis Præſul ſuper æthera notus
„ Gregorius , mundo hæc compublicavit ovans.
„ Schemate quæ Dialogico variavit honeſte,
„ Lectori ſermo gratior unde foret.
„ Tum ſequitur munus nobis divinitus actum
„ Corporis ejuſdem Patris & ore ducis.
„ Cujus ab exortu decoratur Nurſia mater,
„ Miratur puerum quem pia Roma nutrix.
„ Provectu cujus veneratur Sublacus antrum,
„ Paſtoris fructus ſed Beneventus habet.
„ Florida Floriacus membra de nomine fundus
„ Aurelianenſis aſt tegit ecce ſolo.
„ Gallia plaude ſatis tanto donata patrono,
„ Ejus & exemplis te ſuper aſtra leva.
„ Gloria , Chriſte , tibi , tali qui ſtemmate ſervos
„ Nobilitas proprios , ſicque paterne foves.

Sane poſt B. Gregorium Fauſtus vitæ S. Mauri conſcriptor miraculum quoddam a benigno Patre noſtro Benedicto patratum , ſed ab eodem Pontifice prætermiſſum hoc modo refert . „ Quodam tempore S. Benedictus a quodam nobiliſſi„ mo ſecundum ſæculi dignitatem viro exoratus eſt , ut ad „ domum ejus dignaretur per ſemetipſum accedere ; quo uxo„ rem ejus ac filium quem nuper enixa fuerat a Dæmonio , „ quo graviſſime pariter vexabantur , ſuis ſanctis meritis & „ orationibus liberaret. At ſanctus Domini, pro eo quod ei „ familiaris pro aliquibus operibus ab eo religioſe geſtis exiſte„ ret, ire non diſtulit , eoſque integerrime ſanitati reſtituit.

Dehinc Marcus quidam poeta ad eumdem Venerabilem Benedictum veniens , ejuſque magiſterio ſe committens, aliqua in ejus laude , Levita ipſius , verſibus exaravit , quæ ita ſe habent.

Cæca prophanatas &c. ut ſupra inter Carmina.

Et hæc quidem Marcus in præconio ſpiritualis doctoris ſui , metrice luſit . Poſt eum Paulus Sacri Cœnobii Caſinenſis

Mo-

De S. P. Benedicto.

Monachus in hiſtoria Romana lib. decimo ſexto, taliter hujus ſancti Patris noſtri facit mentionem. „ His ipſis tem„ poribus (proculdubio quibus Belliſarius Patricius Vvandalos „ in Africa bello domuit) apud caſtrum Caſinum poſt ſo„ litariam vitam ſancto degens Cœnobio, ſtupendis Beatiſ„ ſimus Pater Benedictus nec minus futurorum præſcius, ra„ diabat virtutibus„. Porro in hiſtoria gentis ſuæ, hoc eſt Longobardorum vitam ejuſdem noſtri poſt Dominum protectoris, elegiaco metro deſcribere diſponens, hoc ſumpſit exordium. „ Juſtiniani Auguſti temporibus qui Romanum „ Imperium felici ſorte rexit, qui & bella proſpere geſſit, „ & in cauſis civilibus mirificus extitit, Beatiſſimus Bene„ dictus prius in loco, qui Sublacus dicitur, qui ab urbe „ Roma quadraginta milibus abeſt, & poſtea in caſtro Ca„ ſino, quod Harum appellatur, & magnæ vitæ meritis, „ & Apoſtolicis virtutibus effulſit. Cujus vitam, ſicut notum „ eſt, B. Papa Gregorius in ſuis Dialogis ſuavi ſermone com„ poſuit. Ego quoque Paulus ipſius ſanctiſſimi Patris Mo„ nachus pro parvitate ingenii mei ad honorem tanti Patris „ ſingula ejus miracula per ſingula diſticha elegiaco metro „ hoc modo contexui.

Ordiar unde tuos &c. ut ſupra inter Carmina.

„ Hymnum quoque ſingula ejuſdem Patris miracula conti„ nentem metro Jambico Archiloico ita texuimus.

Fratres alacri pectore &c. ut ſupra inter Carmina.

Porro deſolationem ipſius ſacratiſſimi montis Caſini, quam B. Pater Benedictus multo ante ſpiritualibus præviderat oculis, nec non reſtaurationem ejus breviſſimo narrandi genere curavit manifeſtare. At vero Translationi ſacratiſſimi corporis ejuſdem ſancti Patris ac ſororis ejus Scholaſticæ ad hunc venerabilem locum Floriacum licet invitus in ipſa Longobardorum hiſtoria teſtimonium præbuit. Quæ omnia quia in primo libro miraculorum pene ipſius verbis exarata ſunt, nos interim ſuccincto genere narrandi prælibaſſe ſufficiat. Il-

lud ſane non reticendum, quia Deo amabilis Abbas Odo in laude ejuſdem Patris Sermonem facunda edidit eloquentia, & in Sermonem quem de ſancto conſcripſit Martino ejuſdem non ſiluit præconia. Smaragdus quoque expoſitionem in ipſius Regulam commentatus hos præmiſit verſiculos.

„ Quiſquis ad æternum mavult conſcendere regnum,
„ Debet ad aſtrigerum mente ſubire polum.
„ Relligione pia vitæ perquirere callem,
„ Scandere quo valeat aurea regna celer.
„ Eſt monachis Sancti Benedicti Regula Patris
„ Perfectis plana ſuavis & ampla via.
„ Aſpera ſed pueris, nec non tironibus arcta,
„ Quos aluit gremio lactea vita diu.
„ Hæc eſt ſancta via prælucida ſemita cœli,
„ Carpere quam cupiunt caſtra beata Dei.
„ Admonet & monachos ſublimis Regula cunctos,
„ Ut rebus careant, regna ſuperna petant.
„ Propria dimittant, habeant ut propria cuncta,
„ Proſpera quæ ſociis cœlica regna manent.
„ Patribus a noſtris in ſacro carmine legis
„ Regia recto gradis dicitur iſta via.
„ Hæc eſt vita bonis, nec non & norma ſalutis,
„ Arcus & arma piis, frigida tela malis.
„ Hanc nullus nolens, cupiens implebit & omnis,
„ Eſt gravis gravibus, ſuavis & apta bonis.
„ Florigeri monachis oſtendit hæc Paradiſi
„ Regula luciſluum deſiderare locum.
„ Hæc bene materno natos caſtigat amore,
„ Arguit erudiens, & ſine felle monens.
„ Hæc patienter eos tenero cum verbere nutrit,
„ Candida poſt obitum præmia multa dabit.
„ Pandit iter rectis, cœleſtia pandit amicis,
„ Currere ne pigeat, ſed patienter eant.

„ Exa-

Digitized by Google

„ Examinat vitas, mores componit, & ornat,
„ Librat, & æquiparat, & moderando minat.
„ Adnihilat parvum, juſtum conflaſcit ut aurum,
„ Limat, & examinat, & poliendo librat.
„ Eſt ovibus virga gracilis, moderatio juſta,
„ Lima pia capiens, regna beata parans.
„ Arguit, obſecrat, increpat, atque libenter emendat,
„ Quos ſibi germano fœdere conſociat.
„ Novit ad æternum monachos perducere regnum,
„ Et ſociare choro dulciter angelico.
„ Quamvis hæc ſocios cœli deducat ad alta,
„ Eſt tamen anguſtus callis & arcta via.
„ Arcta pios celſi deducit ad atria regni,
„ Ampla malos putei mergit in ima nigri.
„ Nemo viam timeat monachorum intrare per arctam,
„ Ducunt ad aſtrigerum caſtra beata polum.
„ Ille poli poterit leviter conſcendere celſa,
„ Quem nocuo nulla pondere culpa gravat.
„ Aliger æthereus gravido cum corpore nullus
„ Verberat, æthereas ſæpe volando vias.
„ Nullus enim monachus peccandi pondere preſſus
„ Stelligeri poterit regna ſubire poli.
„ Omnis enim monachus lachrymis commiſſa lavare
„ Debet, & ulterius nulla lavanda pati.
„ Temperet interea monachi diſcretio mentem,
„ Et via per medium regia ducat eum.
„ Ut caveat dextram ſolers, timeatque ſiniſtram,
„ Hortantur ſacræ munia legis eum.
„ Triſtia non timeat, timeat ſed proſpera mundi,
„ Scandere tunc poterit regna beata poli.
„ Quiſquis amat rutilos ſanctorum carpere fructus,
„ Actibus in cunctis conſocietur eis.
„ Moribus ornatus, & caſto corpore comptus
„ Vivat, & a Domino ſemper amatus erit.

Digitized by Google

„ Sit tacitus, humilis, mitiſſimus, atque benignus,
„ Sit patiens, ſobrius, providus, atque pius.
„ Indolis & docilis, ſapiens, ac mente puſillus,
„ Conceptus, placidus, & bene cautus eat.
„ Excitet interea cordis compunctio ſontem,
„ Qui ſordes animæ illuvieſque lavet.
„ Chriſmate perſuſo lachrymarum fuſio fonti
„ Æquiparat, maculas tergit ut ille nigras.
„ Tergit & ablutos Paradiſi rite colonos
„ Efficit, ut cives jam ſine fine petat.
„ Qui jugiter laudes poſſint perſolvere grates,
„ Vivere, cum Domino ſemper & eſſe ſuo.

Nihilominus Adhelmus Anglus primum Abbas poſt Epiſcopus factus in libro de laude Sanctorum a ſe edito hujus ſancti Patris hoc modo meminit.

Imperium mundi &c. ut ſupra inter Carmina.

Pari modo in præconio ſororis ejus B. videlicet Scholaſticæ aliquantos eidem Carmini interſerit verſiculos.

Tempore Gothorum &c.

Ad extremum proprii clientes ipſius amantiſſimi patroni noſtri Benedicti, in præſentia pretioſiſſimi corporis ejus apud Floriacum ſpeciali gratia educati ad laudandum alumnum ſuum haud ſegnes apparuerunt; in deſcribenda dumtaxat translatione ſanctarum ejus Reliquiarum, nec non miraculis, quæ per illum antiquis ſeu modernis temporibus Chriſtus operari dignatus eſt. Nos quoque pro modulo noſtræ poſſibilitatis poſt perſcripta quædam ejus miracula in ipſius laude hoc aggreſſi opus, videamus quibus adhuc ſanctis poſſit æquiparari Patribus. Æquetur ſane viro forti Gedeoni, qui hoſtes Iſraeliticæ plebis prælio aggreſſurus, prius Aram Baal de paterna exterminavit domo, nemuſque illi ſacratum extirpavit. Sic & ipſe fortis miles Chriſti aereis poteſtatibus bellum in Caſtro Caſino indicturus, oraculum Apollinis evertit; lucum ſuccidit, ac fanum ejus, templum vi-

vo

vo præbuit eſſe Deo . Sanſon ille virorum fortiſſimus ; mirabilium ejus invideat virtutibus . Ipſe etenim pro avulſione oculorum , dejecto ſolario , tria millia ſecum delevit inimicorum . Hic autem Deo amabilis Benedictus , armis patientiæ fultus , inimicum ſuum Florentium , & devitavit vivum : & ſolarii ruina contritum , flevit fuiſſe defunctum . Sanſon nervos , & vincula , quibus ipſe ab inimicis alligatus erat , rupit ; ac ſi ſtupea fila . Mitis Pater Benedictus aliena , & quod mirabilius eſt , ſolo intuitu ſolvit ligamina . Thobias junior Archangelum Raphaelem , meruit itineris habere ducem . Beato Patri Benedicto duo Angeli in figura juvenum apparentes, oſtendere ei viam , qua ad Caſtrum Caſinum pergere deberet . Daniel vir deſideriorum ſagacitate aſtutæ mentis furtiva Sacerdotum Belis deprehendit convivia . Strenuus Benedictus Spiritus Sancti illuſtratus gratia abſentium Fratrum ſumptuoſa cognovit , ac detexit convivia . Ille Draconem extinxit , ipſe fugitivo Fratri Draconis ſpeciem objecit , & antiqui hoſtis , qui in ſerpente figuratur , callidas perſuaſiones in ejus corde mortificavit . De antiquis Patribus , quibus aut æqualis miraculis aut excellentior fuerit ſatis dictum . Nunc jam Novi Patres Teſtamenti perſcrutantes , inſpiciamus : quos aut potentia exæquet ſignorum , aut exuberet . Petrus primus in Apoſtolorum ordine , primus ponatur in hujus cauſæ ratione ; cui hunc inclytum Confeſſorem , Beatus Papa Gregorius non dubitavit coæquare , tam in itinere aquæ , qua in ſanctimonialium excommunicatione . At vero Doctori gentium illum coæquat , cum cognita divinitus Caſinenſis Cœnobii deſolatione animas habitatorum ejus loci eum obtinuiſſe narrat , ita inquiens . „ Pauli vicem video tenuiſſe Benedictum , cujus „ dum navis rerum omnium jacturam pertulit, ipſe in con„ ſolatione vitam omnium , qui eum comitabantur accepit . Ipſe ſane egregius Prædicator ſcribit de ſe ter Dominum rogaſſe , ut auferretur ab eo ſtimulus carnis , nec impetraſſe .

Verax

Verax Gregorius narrat de hoc ter Beato poſt edomitam vepribus, ac urticis carnis temptationem tale quid deinceps eum numquam ſenſiſſe. Martinus ille toto orbe nominatiſſimus, hujus noſtri Patris haudquaquam invidet virtutibus; quem ſecum gaudet regnare in cœleſtibus regni ſedibus. Ille enim ab Aniciano dæmonem, qui ejus inſederat cervicibus, ſola exſufflatione depulit. Iſte duos monachos, unum ictu virgæ, alterum alapæ incuſſione ab antiqui hoſtis dominatione eruit. Bricțium ſibi derogantem abſens Martinus audivit. Monachum ſuperba in cogitatu loquentem providus Benedictus divinitus intellexit. Ampulla ſanctificatum a Martino oleum continens, & in pavimentum marmore ſtratum decidens, nequaquam confracta eſt. Vas vitreum cum oleo propter inobedientiam a Venerabili Benedicto per feneſtram cellarii ſuper molem lapidum projici juſſum permanſit illæſum. Nec anachoretarum choro hic noſter Patronus diſpar invenitur in ſignorum trophæo. Macarius ille mirabilis orationi inſtans aſpexit dæmonem in veſte forata varia vitiorum eremitis ferentem pocula, quem interrogans, Ohe major, ait, quo vadis? reſponſum ab illo accepit, quod ad Fratres iret, & varios affectionum guſtus illi propinare vellet. Præcipuus monachorum Benedictus dum ad orationem pergeret, eumdem antiquum hoſtem in ſpecie medici obvium habuit, quo tenderet inquiſivit; ille reſpondit, ſe ad Fratres ire, potionem illis dare velle. Macarius Theoctiſtum dæmoniaca fraude vitiatum ſuis exhortationibus ad melioris vitæ reduxit ſtatum; Benedictus ob diaboli reſpectum unum tantummodo ſeni ab eo vexato incuſſit colaphum, & continuo reddidit ſanum. Antonius inter anachoretas eximius, animam Pauli Eremitæ primi vidit ab Angelis ad cœlum ferri; ſinceritas Patris Benedicti, non ſolum ſororis Scholaſticæ ſpiritum in columbæ ſpecie vidit ſcandere cœlum, verum & Germani Capuani animam in ſphæra ignea celſa penetrare locorum. Illi ipſi antiquiſſimo, atque ideo primo

ere-

Digitized by Google

eremitarum Eliæ quamvis jam per obſecundantes ſibi corvos ſit æquatus, videamus tamen utrum & in ejus translatione ſit non diſpar a Deo judicatus. Elias enim curru igneo raptus eſt in cœlum; amabilis Pater Benedictus via palliis ſtrata ac innumeris coruſca lampadibus alta conſcendit polorum. Eliam dum tolleretur a ſe flens inclamabat Eliſæus, Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus; diſcipulis venerabilis Benedicti viam, qua ad Dominum jucundus ibat Magiſter, mirantibus aſtans vir clarus, haud dubium quin Angelus, hæc verba conſolationis eſt effatus: Hac, inquit, via dilectus Domino Benedictus aſcendit. Hucuſque quibus ſanctis hic B. P. N. Benedictus par apparuerit in miraculis diſputatum ſit. Nunc ejus dilectores ſuccinctim diſputando conſiderent, in quibus ſignis alias excellere credendus ſit. Nam in eo quod adhuc puerulus eremum petiit intrepidus, quodque carnis incentiva ſic edomuit in adoleſcentia, ut nulla deinceps libidinis pateretur certamina, aut rariſſima aut nulla aliorum inveniuntur exempla. Quia vero eum quem terra poſt obitum non tenuit, per impoſitionem Dominici corporis ſepulturæ concluſit, & ligamina ruſtica ſolo intuitu ſolvit, Fratribus quoque quibus ſe ad conſtruendum monaſterium venturum eſſe prædixerat, apparuit, univerſum mundum ſub unius horæ momento conſpexit, via palliis ſtrata cœlos conſcendit, ut pace omnium loquar Sanctorum, nullum ei video conferendum. Licet enim in tranſitu Eliæ eum comparaſſe viſi ſumus, hoc tamen humanis ſenſibus excellentius fore creditur, quod hic amantiſſimus Domini Benedictus non ſubvectus, aut raptus eſſe, ſed conſcendiſſe perhibetur.

De cetero nos, qui multa gravedine peccaminum preſſi laudes tam magnifici Patris aggredi auſi ſumus, interim ſileamus, quia mens ſibi male conſcia pavet ſe tanta attemptaſſe præconia. Unde hujus alumni noſtri luce ipſa, qua fruimur, vitaque carioris Sanctiſſimi Benedicti efflagitamus bene-

benevolentiam : ut apud Omnipotentis Dei miſericordiam peccatorum nobis obtineat veniam , & per infinita ſæcula ſempiternam gloriam . Amen.

Sermo Goffridi Abbatis Vindocinenſis.

LIcet , dilectiſſimi fratres , aliorum Sanctorum feſtivitates celebrare pio debeamus amore , beatiſſimi Patris noſtri Benedicti hæc ſancta ſolemnitas a nobis, quaſi ex debito , præcipuum honorem exigit & devotionem . Glorioſus etenim iſte Sanctus noſtræ ſecundæ regenerationis inventor pariter extitit , & ſcriptor . Monaſtica , inquam , religio quam ipſe inſtituit, ſecunda regeneratio jure nominatur, & etiam pontificali confirmationi non immerito comparatur . Hujus namque vitæ obſervatione & præterita peccata, ſicut in baptiſmate , delentur , & contra futura , velut in Confirmatione , Chriſtianus munitur . Hac beata vita qui prius in ſæculari converſatione peccando mortui fuerant , vivificantur : & hac poſtea , dum correctione diſtricta peccandi licentia moritur, optime munitur anima Chriſtiana, cui ſolummodo facultas bene operandi relinquitur . Hujus igitur ſanctiſſimi & honorabilis viri diem feſtum debita veneratione , & ſpeciali devotione celebrantes, gaudeamus: de cujus beata & amica ſocietate Angelos & Archangelos , & omnes cœlorum ordines gaudere , & Dei filium collaudare minime dubitamus . Ex gratia ſupernæ benedictionis Benedictus benedictum nomen accepit ; ſed vir ſanctus gratiæ ingratus non extitit . Nam cum adhuc puer eſſet, opus quodlibet puerile contempſit : ſed ſolummodo in pio pectore humilitatem , patientiam , & innocentiam retinens, mundi relicta converſatione , ſe totum Domino commendavit . Deſpectis itaque literarum ſtudiis , quibus a parentibus traditus fuerat , ne amor parentum , ſive divitiæ eorum vitæ melio-

ris

ris propoſitum immutarent, eos, tanquam odiſſet, fugiens; dum Chriſti divitias paupere vita lucrari deſiderat, vanum & quaſi impium reputat, quod multis aliis carum & pium videtur. Sic Dei famulus inſpiratione divina repletur: ejus adhuc tenera & delicata caro mentis conſtantia, & vigore ſpiritus roboratur: & ſi violentia opus fuit, eam ſibi inferre non diſtulit, ut crucifixus crucifixum Dominum ſequeretur, &c. *Dein quædam ex vita Sancti Patris delibantur.*

Vir iſte laudabilis vitæ, mira ſunt, ſed fidei admiratione miranda, quæ in hoc mundo, Domino cooperante, peregit. Nam præter Regulam monachorum, ubi invenitur omnis perfectio hominum, quam dictante Spiritu ſancto ſcripſit, nec ipſe quidem minus perfecte vixit, quam docuit. Omnes ſanctos ac venerabiles Patres, quotquot ab initio ſæculi fuerunt, imitatus veraciter agnoſcitur, qui aut æquale, aut opus ſimile, quod illi fecerunt, feciſſe minime dubitatur. Unde merito non omnium juſtorum ſpiritum habuiſſe tantum, ſed omnium juſtorum ſpiritu plenus fuiſſe in ſecundo libro Dialogorum S. Gregorii laudabilis vitæ Doctoris, qui venerabilem vitam illius ſcripſit, prædicatur. Nulla ratione ſilendum eſt, ſed veritate dicendum, quomodo Romano monacho tunc licebat, ſine ſui Abbatis licentia, quodlibet opus bonum patrare, cum monachis modo non liceat. Hoc utique ſatis agnoſcitur, ſi tempus, & temporis ordo diligenter penſatur. Fuerunt namque ante ſanctum Benedictum Abbates, & Abbatum inſtitutiones, ſicut ante Chriſtum legislator extitit Moyſes. Bonam quidem & ſanctam Judaico populo Moyſes attulit legem: ſed Chriſtus Chriſtiano populo contulit meliorem. Ita ſancti viri illius temporis ſecundum datam ſibi a Deo gratiam monachorum leges ſtatuerunt: ſed pater ac legifer noſter Benedictus, ſicut a Deo majorem gratiam percepit, ita meliorem legem inſtituit. Nam quicquid illi minus vel amplius faciendum prædixerunt, vel fieri permiſerunt, ipſe poſt illos correxit. Unde

monachis, ut opera bona ſine ſpiritualis patris licentia minime faciant, idcirco nunc prohibetur: ne quiſquam eorum propriam voluntatem ſub ſpecie pietatis vel cujuslibet bonæ operationis ſequatur. Et per hoc maxime qualis, & quanta ſit virtus obedientiæ oſtenditur, qua non ſolum mala vitare, ſed etiam a quibuſdam bonis operibus ſubditis abſtinere præcipitur. Cum igitur alligati funibus obedientiæ ſubditi ea non faciunt, quæ ſibi bona videntur, neceſſe eſt, ut hi qui eis præſunt, ex ſua parte bona demonſtrent, quæ operentur. Hanc obedientiæ formam Dominus in Paradiſo parentibus primis primus inſtituit, qui cum omnes alias Paradiſi arbores eis conceſſiſſet, unam interdixit: quatenus videlicet ipſi agnoſcerent, quod Dominum, & magiſtrum ſuper ſe habebant, cujus voluntati obedire debebant. Qui non ideo peccaverunt, quod malum eſſet pomum, quod comederunt; ſed quia quod bonum erat, contra interdictum Domini tetigerunt. Hujus obedientiæ virtutem S. Benedictus plenius agnovit, quam ante illum quilibet Abbatum aut noluit revelare, aut minus intellexit. Romanus igitur in illo ſuo facto merito laudatur, quia iſta & quædam alia monachis tunc licebant, quæ nunc prohibentur. Sunt etenim quædam bona, quæ prius quidem licere poſſunt, ſed illicita poſtea fiunt. Nam monachis illius temporis illa humanitatis opera licebant, quia ſe non ab illis operibus abſtinere promiſerant. Modernis vero ſic illa licere minime poſſunt: qui nec illa, nec alia bona opera facere ſine ſpiritualis patris voluntate devoverunt, & fide ſuæ profeſſionis firmaverunt. Quam videlicet ſuæ profeſſionis fidem, ſecundum Regulam S. Benedicti, tenendam coram Deo, & Sanctis ejus promiſerunt. Licet etiam mulieri, ſi voluerit, nubere, quia ei bene conceditur; ſed ſi virginitatem voverit, & poſtea nupſerit, rea tenebitur. Bonum eſt tamen conjugium, ſed conjugio virginitas melior. Sic Sanctorum præcedentium Patrum omnis inſtitutio eſt quidem bona,

ſed

ſed venerabilis Benedicti longe præſtantior . Quæ ante illum Patres Sancti conſtituerunt, velut lex Moyſi, dura & aſpera fuerunt . Sapientis vero Benedicti inſtitutio ſancta , ſuavis & levis eſt : & matre virtutum diſcretione videlicet plena . Antiquorum ſanctio Patrum quaſi veteris legis cultores habuit . Pius autem & diſcretus Pater Benedictus illorum ſtatuta tanquam duræ legis auſteritatem temperans, nos novæ gratiæ filios procreavit . Illa quaſi vetera pene vel penitus omnia tranſierunt : & ecce a S. Benedicto facta ſunt nova . Illa etiam tanquam umbra & figura futuræ monaſticæ vitæ fuiſſe videntur; ſed per laudabilem Patrem Benedictum, cooperante Spiritu ſancto, eſt veritas revelata . Ipſe tamen pro magna ſua humilitate S. Baſilii & præcedentium vitam & opera Patrum , vel ſua tacens , vel quaſi modica dicens , laudat & miratur . Bonus optimum diſcipulus Magiſtrum imitatus, qui taceri præcipiebat, cum ea , quæ ſine ipſo nemo alius facere poterat , operabatur . Et quidem illi noſtri ſancti prædeceſſores, qui nos præceſſerunt ad ſydereas manſiones , & religioſe vixerunt , & religioſe ſcripſerunt . Sed ſicut poſt beatos tres Evangeliſtas Matthæum ſcilicet, Lucam, & Marcum, eorum quartus Joannes Apoſtolus ſcripſit , & melius . Sic vir iſte beatus poſt alios Patres monachorum Regulam ſcripſit, qua tanquam dulcioris charitatis cæmento , vivo lapidi Chriſto homines diligentius jungit . De quo veraciter dicere poſſumus, & firmiter credere debemus , quod a Deo nobis ſit tanquam Apoſtolus, & Angelus deſtinatus. Nam illum idcirco nobis ſpecialiter miſit Deus , ut ipſe formatæ & formoſæ vitæ ſuæ exemplo nos proprie, & ſingulariter informaret, atque ſuæ doctrina ſapientiæ nobis , quæ ſunt bona , familiariter nuntiaret . Illum etiam poſt ſe præcipuum patrem, paſtorem , medicum, & magiſtrum decrevit eſſe monachorum . Hunc igitur beatiſſimum virum præcordiales amici & fratres, corde & ore ſuppliciter exoramus, quatenus pater, paſtor, medicus,

Digitized by Google

dicus, & magiſter ſic noſter eſſe dignetur, ut pia paternitate nos nutriat, animas noſtras paſcat pane virtutum, vulneribus peccatorum & criminum noſtrorum medeatur; & ſuo magiſterio diligenter edocti, quæ bona ſunt, operemur, & ad ipſum pervenire mereamur, qui eſt dator & remunerator bonorum, Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Beati Petri Damiani Sermo in Vigilia S. Benedicti.

VIgilias egregii Confeſſoris, beati videlicet Benedicti, fratres chariſſimi, hodie colimus: neceſſe eſt ut ad celebranda ſolemnitatis ejus inſignia promptos animos præparemus. Jam itaque ſplendorem tantæ ſolemnitatis mens devota concipiat, ad excubias ſe piæ ſervitutis accingat, ac flamma divini amoris ſolito ferventius incaleſcat. Scopis juxta conſuetudinem mundatur Eccleſia; per ſinceram quoque confeſſionem purificetur pravæ cogitationis pulvere conſcientia. Præparantur luminaria, diverſæ ornamentorum ſpecies appenduntur; in pectoribus quoque noſtris, divina largienre clementia, varia diſponantur ornamenta virtutum: Sicque Pharus interioris templi, quot piis ſtudiis, quaſi tot coruſcis lampadibus, accendatur. Debemus igitur hodie beato viro, velut ægrotanti, piis viſceribus compati, ut cras merito valeamus de aſſumptione ejus cum eo pariter gloriari. Sicut & de Redemptore noſtro dicit Apoſtolus: quia ſi commorimur, & convivemus; ſi compatimur, & conregnabimus. Hinc rurſum ait: ſi complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus. Quod ergo debemus capiti electorum omnium Chriſto, debemus & ſervo ejus venerabili Benedicto: nimirum, ut compatiamur ægritudi-

tudinem patienti ; collætemur autem cœlos feliciter aſcendenti . Prius namque per temporalem obitum naturæ debitum ſolvit : deinde comitantibus hymnidicis Angelorum cœtibus , ad cœleſtia regna migravit.

In hac quippe die corporei languoris moleſtias pertulit ; in ſuperventura autem patriam felicitatis æternæ perenniter regnaturus intravit. In hac die , mærentibus diſcipulis , momentaneæ ſuccubuit febri ; in illa vero , congratulantibus cœli virtutibus , gloriæ cœleſtis invectus eſt claritate . Corporis depoſuit ſarcinam , mox immortalitatis indutus eſt ſtolam . Vili decumbens cilicio , inter paucorum diſcipulorum manus ſpiritum reddidit : ſed mox per viam palliis ſtratam , lampadibuſque coruſcam, ad innumerabilium Angelorum lætabile conſortium pervolavit . Sed quid mirum ſi cœleſtis curiæ Senator inſignis poſt felicem obitum , Angelorum petiit contubernium ? Quandoquidem & in carne adhuc corruptibili conſtitutus , eorum tam ſæpe promeruit familiare colloquium . Nam , ut de ceteris ſileam , unum , quod ſacrum, atque veridicum Gregoriani ſtyli fugit articulum , charitati veſtræ celandum eſſe non arbitror.

Plane quum vir Dei Benedictus in loco, qui Sublacus dicitur , conſtructis circumquaque Monaſteriis, ſolitarius degeret, divinitus eſt admonitus, ut loco cederet, Caſtrumque, quod Caſinum dicitur, properaret. Illico vir ſanctus abſque cujuslibet comitis adminiculo , ſolus ut erat , iter arripuit ; & per quinquaginta fere paſſuum millia gradiens , locum , quo vocabatur, inviſit . Sed cum per ignota loca ſolus viator incederet , ubicumque bivium occurrebat , duo protinus juvenes videbantur aſſiſtere , qui ſibi , quo greſſus dirigere debebat, indicarent . Qui nimirum juvenes, qui alii ſunt credendi , niſi angelici ſpiritus ad ſancti viri cuſtodiam deputati ? Quid autem mirum ſi Angeli, ſanctorum videlicet hominum amatores , iter edocebant , ne vir ſanctus erraret ; cum & bruta animalia ejus veſtigia ſequerentur , ne ſolus

abi-

abiret ? Nam tres corvi per omnem viam individui ſibi comites fuerunt , ejus aſſidue veſtigia proſequentes : hodieque in ſilva , quæ venerabili Monaſterio Caſini montis adjacet , duo , ſive , ut ferunt , tres corvi annua ſemper revolutione nidificant , quos ab illis antiqui temporis corvis nonnulli prodire per traducem ſeminis aſſeverant . Et revera quotidie Monaſterii foribus advolant , ut crocitantes , & alas , ac roſtra pandentes , ſolitam eſcam , velut debitum cenſum ex vetuſtæ poſſeſſionis jure depoſcant . Et ut clarius innoteſcat , quam pervigil ſuper beatum virum divina gratia coruſcaverit , ſanctus quidam vir in prædicti Caſini montis tunc arce degebat , cui divina voce præceptum eſt , ut abſcederet , aliique , qui novus habitator accederet , locum daret . Hæc plane de Marci , ejuſdem videlicet Beati Benedicti diſcipuli , venuſto carmine jam defloravimus : quia in veneranda Gregorianæ hiſtoriæ ſerie minime reperimus.

Nuper etiam juxta præfatum Caſini montis Cœnobium , ſatis inſigne miraculum contigit , quod non abs re fieri credimus , ſi ad ejus , qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis , gloriam referamus . A principio fere Maji menſis , uſque ad quintum diem ante Kalendas Auguſti vix aliquando pluvialis imber tenuiſſime ſaltem ſqualentia rura rigaverat . Cumque omnis tellus areſceret , & ferventius ſolito mundus ignei caumatis ardoribus æſtuaret; die , qua prædiximus , ruſticus quidam , ut uberes proventus ſuis novalibus provideret , poſtquam ſegetes meſſuit , mox ſtipulas, quæ remanſerant, igne ſuccendit . Repente vero flamma ſæviens, tota undique verſus arua corripuit , & non contenta palearum culmis , ſed & ſilvas , & ſaltus , & quæque fuerant obvia , globis furentibus conflagravit . Cumque ad id perventum eſſet , ut quælibet adjacentia Monaſterio jam jam pæne ignis lingua prolamberet , & non jam dubius loco ſancto interitus immineret , ſubito in aeris vaſtitate nubecula brevis valde , & exilis apparuit : moxque paulatim in ampliora ſe porri-

gens,

gens, ſupra totum ſe undique Monaſterii circuitum dilatavit. Quid verba diutius protraham? O inenarrabilis ſupernæ virtutis potentia! o numquam deficiens ſuper electos ſuos divina cuſtodia! Protinus ſeſe nubes in largiſſima imbriferæ inundationis fluenta reſolvit; adeo ut, non modo voracis incendii flammas extingueret, ſed & omnem ſancti loci circuitum profluentium procellarum copioſis inundationibus irrigaret. Et ut ne quis ambigat nubem illam meritis B. Benedicti fuiſſe prolatam, atque ad ſolam ſancti loci ejus proceſſiſſe cuſtodiam; cum tota cœli ſphæra continua undique ſerenitate clareſceret, ſic ſe ad Monaſterii menſuram nubes illa cohibuit: ut ubertim quidem ſanctis ædificiis adjacentia quæque perfunderet, ad finitima vero, & continuata quælibet loca penitus non ſtillaret. Nam & hi qui de vicinioribus locis ad protegendum Monaſterium undique confluebant, mirabantur ſe ſubito madefieri, cum eatenus fuerint non aquis, ſed ſudoribus tabefacti.

Quam firmam ergo fiduciam, fratres mei, in tam ſtrenuo, atque pervigili poſſumus habere patrono? qui enim ſævientis incendii flammas a vilium lignorum, vel lapidum conflagratione prohibuit, quam valido putamus auxilio animas noſtras ad imaginem Dei factas, ab æſtuantium vitiorum ardore defendet? Nubem movit, imbres expreſſit flammas extinxit, ædificium liberavit. Tu quoque ſi incentiva libidinis, &c.

Beati

Beati Petri Damiani Homilia in Feſto S. Benedicti.

DIxit Simon Petrus ad Jeſum : Ecce nos reliquimus omnia , & ſecuti ſumus te ; *& reliqua*.

In hujus Patris noſtri præcipua ſolemnitate totis eſſet viribus incumbendum , niſi nobilis lingua Gregorii totum ejus itinerarium ſermone magnifico collegiſſet . Ita enim actus ejus , & vitam undantis eloquii claritate depinxit ; ut & ſtylus ſententiarum majeſtate ſcintillet , & ſententiæ ſtylo reluceant clariori . Ex abundanti igitur eſt , poſt vocem tanti viri aliquid addere , in cujus comparatione nos non ſolum ineloquentes , ſed & mutos eſſe non ignoramus . Hoc tamen ſolum dixiſſe ſufficiat , quia ſolus iſte militarem manum excelſo Principi ceteris abundantius præſentabit , & monachorum turmis , Angelorum more viventibus , cælorum adimplebit palatia . Quam igitur refulgens , & ſplendidus miles aſtabit imperatorio tribunali, plenus infinitis virtutibus, agminibus innumeris comitatus, conſiliarius Regis , judicis amicus , unicus hoſtis hoſtis antiqui?

De eo plane , eumque ſequentibus dixit Simon Petrus ad Jeſum &c. (*& poſt Evangelii expoſitionem* .)

Cui vero ſic ſpecialiter totus Evangelicæ lectionis excurſus aſſignari poteſt , quemadmodum Patri , & magiſtro noſtro B.Benedicto ? Hic a pueritia mundum cum flore reliquit, & currentem Chriſtum curſu rapidiſſimo ſecutus eſt ; nec deſtitit donec conſequeretur . Quis inter judicantes ſublimius judicabit ? Quis ita centuplum in hac vita percepit ? quis vitam æternam glorioſius poſſidebit ? Ejus igitur interceſſione ſuæ gratiæ largitatem ad præſentis vitæ conſolationem , & æternæ poſſeſſionem , nobis adminiſtrare dignetur , qui venit , ut vitam habeamus , & ut abundantius habeamus,

miſs, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

CONvenientibus vobis in unum ad audiendum verbum ſalutis, magnus mihi timor, Fratres mei, ne quis forte minus digne illud recipiat, & non ſicut recipiendum eſt verbum Dei. Scio enim terram, quæ ſæpius ſupervenientem in ſe recipit imbrem, ſi fructum non fecerit, reprobam fore, & proximam maledicto. Et ego utique, ſi poſſem, benedictiones illi dare mallem, & non maledictiones: imo vero ipſam benedictionem cœleſtis patris veſtri, non meam (quam tamen ipſo quidem dignante accipitis per os meum) opto vobis benedictionem manere ſemper, nec in maledictionem poſſe mutari. Celebramus hodie magiſtri noſtri glorioſi Benedicti natalem; pro eo vobis & de eo ſolemnis ex more ſermo debetur. Cujus dulciſſimum nomen cum omni vobis jucunditate amplectendum eſt, & honorandum; quoniam ipſe dux veſter, ipſe magiſter & legifer veſter eſt. Delector quidem & ego in ipſius memoria, licet non meo ſine rubore beati hujus Patris nomen audeam memorari. Eſt enim mihi de ipſius imitatione vobiſcum ſæculi abrenuntiatio, & monaſticæ profeſſio diſciplinæ, ſed ſingulariter ſine vobis cum eo participo nomen Abbatis. Abbas fuit, & ego. O abbas, & abbas! Nomen unum, ſed in altero ſola magni nominis umbra. Miniſterium unum, ſed heu me! quam diſſimiles miniſtri, quantum miniſtratio ipſa diſſimilis! Væ mihi, ſi tam longe a te fuero, o beate Benedicte, in futuro, quam a tuæ veſtigiis ſanctitatis longe eſſe reperior in præſenti! ſed non mihi hæc apud vos perorare neceſſe eſt: ſcio quod ſcientibus me loquor; tantum peto, ut pudorem hunc & hunc timorem

meum fraterna compaſſione levetis. Quoniam tamen omnino diſpenſatio mihi credita eſt, etſi non habeo apud me quod vobis apponam, quæram a beato Benedicto tres panes, quibus vos paſcam. Reficiat vos ſanctitas ejus, pietas ejus, juſtitia ejus. Recolite, dilectiſſimi, quod non omnes, qui in proceſſione Domini fuerunt, ſua illi proſtraverint veſtimenta. In illa, inquam, proceſſione quam annuente Domino in proximo ſumus celebraturi, quando venienti Domino ad paſſionem, & ſedenti ſuper aſellum populi occurrerunt, non omnes veſtimenta ſua proſternebant in via, ſed cædebant aliqui ramos de arboribus. Non erat hoc magnum; quod gratis acceperant, gratis dabant. Veruntamen ne ipſi quidem penitus otioſi fuerunt, ſed nec a proceſſione leguntur excluſi. Fratres mei, pium Chriſti jumentum, qui cum Propheta dicere poteſtis: Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum: Vos quibus inſidet Chriſtus, quoniam anima juſti ſedes eſt ſapientiæ, & Apoſtolus prædicat Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.

Si non habeo veſtes quas pedibus veſtris proſternam, tentabo vel ramos cædere de arboribus ut tantæ proceſſioni vel parum aliquid non deſit miniſterii mei. Arbor fuit beatus Benedictus grandis atque fructifera, tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Ubi ſunt decurſus aquarum? Profecto in vallibus, quia inter medium montium pertranſibunt aquæ. Quis enim non videat etiam torrentes montium ardua declinare, & mediam ad humilitatem ſemper divertere vallis &c. Sic fuit plantatus ſecus decurſus aquarum ſanctus iſte Confeſſor Domini, quoniam fructum ſuum dedit in tempore ſuo. Sunt enim qui fructum non faciunt: Sunt qui faciunt, ſed non ſuum: Sunt qui faciunt ſuum, ſed non in tempore ſuo &c. Sunt qui in initio converſionis ſuæ aliis fructificare continuo velle præſumunt, contraque legis decreta arare in primogenito bovis,

Digitized by Google

bovis, & ovis primogenita tondere feſtinantes. Vultis noſſe quam ſolicite id vitaverit ſanctus iſte magiſter noſter? Et hunc ramum vobis appono: quoniam tribus annis ſoli Deo notus, hominibus manſit incognitus. Fructum quidem multum tulit, ipſi cernitis, ſed in tempore ſuo. Neque enim credebat tempus eſſe fructificandi; quando tanta carnis tentatione gravatus eſt, ut pene cederet, pene diſcederet. Ego enim nec iſtum quidem ramum prætereo; quoniam etſi hirſutus quodammodo ſpinarum aculeis, quibus ſeipſum domini Benedictus injecit, tamen utilis eſt omnino: utilis jumento Domini propter foveas tentationum, ne in eas incidat conſentiendo, ſed magis reſiſtat, & viriliter agat, ſuſtineatque Dominum ne deſperet. Hic ergo fige pedem Chriſti jumentum & diſce quantumcumque acerba tentatio ſæviat, non cedere, nec credere propterea derelictum te eſſe a Domino, ſed memineris ſcriptum eſſe: Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Ergo ut dicere ceperam, non credebat Benedictus tunc eſſe fructificandi tempus, quando adhuc tantis tentationibus urgebatur; Sed venit tempus, & in tempore ſuo fructum dedit. De fructu ejus ſunt illa tria quæ ſuperius tetigi: ſanctitas ejus, juſtitia ejus, pietas ejus. Sanctitatem miracula probant, doctrina pietatem, vita juſtitiam. Vides o jumentum Chriſti ramos foliis virentes, vernantes floribus, onuſtos fructu? Super iſtos innitere, ut greſſus rectos facias pedibus tuis.

Sed quomodo tibi appono ejus miracula? Numquid ut miracula facere velis? Nequaquam, ſed ut miraculis ejus innitaris: videlicet ut confidas, & gaudeas, quod ſub tale poſitus es paſtore, quod tantum meruiſti habere patronum. Omnino enim valde potens eſt in cælis, qui tam magnus & potens extitit in terris, ſecundum magnitudinem gratiæ, magnitudine gloriæ exaltatus. Nam & juxta radicum quantitatem rami prodire noſcuntur: & quot radicibus ar-

bor innititur, tot ramis, ſicut ajunt, decoratur. Sic ergo licet non habeamus noſtra, conſolatio magna nobis eſſe debent patroni noſtri miracula. Doctrina vero inſtruit nos, & dirigit greſſus noſtros in viam pacis. Porro vitæ juſtitia omnino roborat, & animat nos: ut tanto magis accendamur ad agenda quæ docuit, quanto certi ſumus eum non alia docuiſſe quam fecerit. Sermo quidem vivus & efficax, exemplum operis eſt: plurimum faciens audibile quod dicitur, dum monſtrat factibile quod ſuadetur. In hunc ergo modum & ſanctitas confortat, pietas informat, juſtitia confirmat. Quantæ enim pietatis fuit, quod non ſolum præſentibus profuit, ſed & pro futuris ſolicitus fuit? Non ſolum his qui tunc erant fructum tulit hæc arbor, ſed utique hodie fructus ejus & creſcit & manet. Dilectus plane Deo & hominibus, cujus non ſola præſentia in benedictione fuit, ſicut ſunt multi dilecti Deo ſoli, quia ſoli Deo jam cogniti: ſed & memoria ejus etiam nunc in benedictione eſt. Nam & uſque hodie in triplicem amoris dominici confeſſionem, triplici hoc fructu paſcit domini gregem. Paſcit vita, paſcit doctrina, paſcit interceſſione. Per quem inceſſanter adjuti, fructificate & vos chariſſimi, quoniam in hoc poſiti eſtis, ut eatis & fructum afferatis. Unde eatis? Utique a vobis ipſis: Sicut ſcriptum eſt: A voluptatibus tuis avertere. Nam & de Domino legimus: Quia exiit ſeminare ſemen ſuum. Ecce & hic habemus ſemen ſuum, ſicut & prius fructum ſuum. Imitemur & hunc, Fratres, quoniam ad hoc venit, ut formam nobis traderet, & viam demonſtraret. Fortaſſis & ipſe Dominus arbor eſt, & debemus ab eo quoque ramos accipere, quos noſtris pedibus apponamus: imo non fortaſſe, ſed magis vere arbor eſt ipſe & planta cæleſtis, ſed in terris planta, ſicut ſcriptum eſt: veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cælo proſpexit &c.

Sermo

De S. P. Benedicto.

Sermo Guerrici Abbatis Igniacenſis.

Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitia meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.

QUam congrue verba hæc in laudem beati Benedicti cantata ſint, facile quivis veſtrum intelligit, cui tamen vita & doctrina ipſius non ſit ignota. Quam commode vero ad vitæ noſtræ doctrinam, ipſa per ſe verborum facies oſtendit; quæ ſcilicet illa, quibus nihil eſt utilius in vita, ſapientiam, juſtitiam, timorem Dei cum præmio etiam beatitudinis commendat &c.

Vis autem ſcire, quam ſit neceſſaria ſtabilitas loci, ut in ſapientia moreris: ut radicari & fructificari poſſis mora temporis? Interroga patrem tuum beatum Benedictum, & annunciabit tibi, quia clauſtrum monaſterii, & ſtabilitas in congregatione locus idoneus ſit ad ferendum omnium fere fructus virtutum, quarum longum ibidem texit catalogum &c.

Alius ejuſdem.

Benedictus vir qui confidit in Domino.

SAnctus pater noſter gratia Benedictus & nomine, cujus memoria in benedictione eſt, ipſe profecto fuit benedictus vir, qui confiſus eſt in Domino. Quem enim Dominus prævenit in benedictionibus dulcedinis, ut in Domino confideret, jam benedicit omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, quia in Domino confiſus eſt. Nec ſolum in cœleſtibus in benedictionibus omnium Angelorum,

lorum, ſed etiam in terreſtribus benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. Ubi enim gentium non benedicitur hodie benedictus Domini Benedictus? Plane benedictio Domini ſuper caput juſti, quem tot benedictionibus cœli, & terræ gratia Dei cumulavit. Non tamen ſicut Eſau in pinguedine terræ, & in rore cœli benedictio ejus, ſed in pinguedine ſpiritus, & in authore cœli, qui per Prophetam loquitur: Ero quaſi ros, & cui dicitur: Ros lucis ros tuus: in Chriſto utique benedictio patris, cui pater imprecatus eſt: Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Merito proinde benedictus in Domino vir qui confidit in Domino, quia ſi in Domino fidit, in eo ſe ipſum figit. Ubi autem arbor radicem figit, inde ſuccum vitæ atque humorem pinguedinis bibit. Plane ad humorem radicis miſit, qui, ut verbis utar Benedicti magiſtri, ſpem ſuam Deo commiſit, ac de ipſo fonte ſummi boni aquas vitæ totius benedictionis, & gratiæ bibit, &c.

Alius ejuſdem.

Dilectus Deo, & hominibus.

PAucis expreſſit bonum ac beatum virum, qualem nimirum conſtat dilectum Domini fuiſſe Benedictum. Paucis, inquam, comprehendit ſummam perfectionis, plenitudinem gratiæ & virtutis, ſimulque beatitudinem vitæ perennis, conſolationem præſentiæ. Quid enim deeſſe poteſt ad æternam felicitatem illi, qui a Deo diligitur, quid ad præſentem conſolationem illi, qui ab hominibus diligitur? &c.

Alius

Alius ejuſdem

In fide & lenitate ipſius Sanctum fecit illum.

HÆc quidem de Moyſe ſcripta ſunt, ſed hodie beato Benedicto non incongrue tanquam arbitror aptata ſunt. Qui cum omnino plenus fuerit ſpiritu Sanctorum, multo magis de ſpiritu Moyſi credendum eſt habuiſſe non minimum. Si enim Dominus de ſpiritu Moyſi tulit, & poſuit ſuper omnem illam ſuffraganeam turbam ſeniorum, qui in partem miniſterii ſunt aſciti, quanto magis ſuper iſtum, qui plenitudinem totius miniſterii, tanto verius, quanto ſpiritualius implevit? Ille dux fuit exeuntium de Ægypto, iſte renunciantium ſæculo: Legislator ille, legislator & iſte; ille tantum miniſter literæ occidentis, iſte ſpiritus vivificantis: ille ad duritiam cordis Judæorum dedit eis juſtificationes non bonas, præter pauca moralia, iſte ſolam puritatem Evangelicam, ſimplicemque morum tradidit diſciplinam: ille tam multa ſcribit intellectu difficilia, factu impoſſibilia, vel inutilia; iſte rectiſſimam vitæ ſcribit regulam, ſermone luculentam, diſcretione præcipuam. Denique dux ille filiorum Iſrael, quos de Ægypto eduxit, in requiem promiſſam non induxit; dux noſter recta via, orientis tramite, tanquam ſignifer exercitus Monachorum hodie præceſſit nos in regnum cœlorum. Itaque non erit abſurdum, ſi credatur illius adæquaſſe meritum, cujus inveniatur etiam ſuperaſſe miniſterium. Nec incongrue videbitur ad ipſum eſſe tranſlatum, quod de illo ſcriptum legitur. In fide, & lenitate ipſius ſanctum fecit illum Dominus: præſertim cum harum præcipue virtutum fidei ſcilicet, & lenitatis nobis ipſe magiſter ſit, qui nequaquam aliter vixit quam docuit.

Quid enim præclarius illius fide, qui in ætate puerili mun-

mundum ſibi arridentem irridens, tam mundi quam corporis ſui florem quaſi jam aridum calcavit, magis appetens pro Deo mala mundi perpeti, quam in eo temporaliter proſperari? Quid ſimilius illi fidei Moyſis, quam Apoſtolus commendans ait: Fide Moyſes grandis factus negavit ſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem? Quid autem ſanctius lenitate Patris noſtri, qui nec malitia falſorum fratrum vitæ ipſius inſidiantium, & pro vino venenum propinantium potuit exaſperari? Moyſen quidem Scriptura prædicat mitiſſimum fuiſſe ſuper omnes homines, qui morabantur in terra: nunquid tamen exacerbatum ſpiritum ejus negat? Nunquid non iratum & valde iratum adverſus æmulos memorat? Hujus autem magiſtri noſtri manſuetudinem non ſolum erga maledicos, ſed etiam erga maleficos mirabilem me legiſſe memini, iracundiam non memini. Quanquam nec in ipſo, ſicut nec in Moyſe, præconio ſanctæ lenitatis præjudicet, ſi juſtus zelo contra peccantes fervet, ſine quo lenitas tepor aut timiditas eſt. Quomodo namque lenitas illa ſanctum quempiam faceret; quæ in Heli, qui alias ſanctus erat, damnata eſt. Fratres habete pacem inter vos, mandat ille Magiſter pacificus, & lenis; prius tamen præmiſit: Habete ſalem in vobis, ſciens nimirum pacis lenitatem vitiorum eſſe nutricem, niſi prius aſperitas zeli mordacem eis inſperſerit ſalem: ſicut & carnes vermeſcere facit clementia temporis, niſi deſiccaverit eas fervor ſalis. Habete itaque pacem inter vos, ſed quæ ſale condita ſit ſapientiæ: ſectamini lenitatem, ſed quæ ferveat fide.

Sermo

Sermo Petri Diaconi, ac Monachi Caſinenſis in die octava Feſtivitatis S. Benedicti.

EGregii atque pretioſiſſimi Confeſſoris Benedicti octavum Feſtivitatis diem, hujuſque ſacratiſſimi corporis inventionem, Fratres cariſſimi, hodie colimus; & ideo gaudendum nobis eſt & exultandum, ut gaudium Chriſti & Sanctorum ejus in nobis ſit, & gaudium illorum in nobis impleatur. Ille enim digne de Sanctorum Feſtivitatibus, & inventione Reliquiarum gaudet: qui lætitiam, quam foris monſtrat in corpore, habere ſtudet in mente. Sed jam tanti corporis inventionem libet ſuccincte tranſcurrere, ut nullus valeat de hoc ulterius dubitare. Eo ſiquidem tempore, quo Abbas Deſiderius ejuſdem Eccleſiæ ſpeculam renovabat, cum tres non integras ulnas fodiſſet, die Octavarum ejuſdem ſanctiſſimi Patris, ſubito ignorantibus cunctis ſepulchrum invenitur, in quo tanti Patris conditus retinebatur theſaurus. Statim vero terræ motus factus eſt magnus, odoris quoque extitit tanta gravitas, ut omnes ſimul maximo pavore ſtuperent. Mons etiam totus ab imo uſque ad ſummum quatiebatur: decem namque & ſeptem vicibus eo die a terræ motu concuſsus eſt. Super ſepulcra quoque in dextro latere altaris laterem reperiunt, nomen ejuſdem Confeſſoris continentem. Sanatus eſt ibi eodem die quidam dæmoniacus de Cominio: hic nempe ſtatim, ut tanti Patris ſepulcrum inventum eſt, clamare cœpit per os ejus diabolus, dicens: Benedictus me ejicit, Benedictus me ejicit. Hæc dum crebro repeteret, interventu ſanctiſſimi Benedicti idem ruſticus a diabolo ſanatus eſt. Ibi etiam quidam vir adductus de civitate Barenſi, qui a legione vexabatur dæmonum, ſtatim curatus eſt. Hoc Fratres videntes

cæperunt glorificare Deum pro tanto theſauro temporibus ſuis invento, nec non & pro illorum liberatione.

Adveſperante vero die a Venerabili Patre Deſiderio deputati ſunt quam plurimi Fratres, qui vigilias tota nocte juxta ſanctiſſimi Benedicti corpus celebrarent: cumque omnes alii egreſſi fuiſſent, Georgius ejuſdem eccleſiæ Paramonarius dixit: Si vobis æquum videtur, ſacratas reliquias, antequam Dominus Abbas veniat, inſpiciamus. Quod dictum dum placuiſſet omnibus, accedentes ad locum, inveneruut ſupra ſepulcra ſyndonem expanſam candidiſſimam, quæ cum tangebatur evaneſcebat. Levantes autem lapidem invenerunt duas ſepulturas, in quibus hoc ordine reliquiæ poſitæ erant. Loculus erat marmoreus in dexteram partem ſepulcrorum longitudinis quatuor pedum, & latitudinis pene duorum, in quo oſsa ſanctiſſimi Benedicti & ſororis ejus poſita erant. Poſiti autem fuerant ita: capita eorum contra chorum, pedes contra altare S. Joannis Baptiſtæ habentes. Juxta pedes vero eorum invenerunt ſepulcra, in quibus Carolomannus & Conſtantinus & Simplicius requieſcebant. A dextro autem altaris latere beatiſſimum Patrem Benedictum, a ſiniſtro B. Scholaſticam invenerunt. Supradictus autem Georgius corpora tantorum Sanctorum ut vidit, gaviſus eſt gaudio magno, illicoque dentem unum ſanctiſſimi Patris auferens in vaſe argenteo poſuit, & ad ſtratum proprium rediit: ſtatim autem tam diriſſima infirmitate percuſsus eſt, quod nec comedere, nec bibere, nec etiam ſedere aliquatenus poſset. Cumque omnis veneranda collectio de ejus morbo veheementiſſime triſtaretur, tandem id quod in re erat conſiderantes, dixerunt non ob aliud hoc pati, niſi quod dentem de ſepulcro ſanctiſſimi Benedicti abſtrahere præſumpſiſſet. Quod ubi Georgius ſupradictus reminiſcens advertit, pœnitentia ductus, dentem, quem abſtulerat, una cum vaſe argenteo juxta ſanctum corpus poſuit, & ſtatim ſanus factus eſt.

Eo

Digitized by Google

De S. P. Benedicto.

Eo vero die quo ſanctiſſimi Patris Benedicti eſt inventum corpuſculum ; ejuſdem cœnobii monachus Benedictus, cognomento de Baruccio, qui ejuſdem Patris corpus invenerat, ſopore deprimitur, cernebatque ſe ad eccleſiam S. Baptiſtæ Joannis pergente & ibidem intrare cupiente, duos Angelos ante fores baſilicæ ſtantes, & quo monachus tenderet interrogantes. Qui cum ſe ad eccleſiam ire dixiſſet, reſponderunt: Ne ingrediaris illuc. Percunctanti cauſam adjunxerunt: Quia Regina mundi Virgo Maria cum duodecim Apoſtolis ad beatiſſimi Benedicti nunc corpus advenit, atque de ejus inventione cum prædictis Apoſtolis Regem collaudat æternum. Ubi autem lux eſt reddita terris, ad ſe Deſiderius Romanæ eccleſiæ Cardinales una cum Caſinenſibus monachis evocans, una cum eis ad ſepulcrum advenit: quo reſerato, & Sanctorum oſtenſis corporibus, tam præſentes, quam etiam futuros certos & indubios de ſanctis corporibus reddidit. Sed jam ad miracula, quæ per eum divina eſt operata majeſtas, exaranda præſens ſtylus vertatur.

Eo tempore quo Leo Papa ſanctiſſimus adhuc puer in cunis jacebat, batrachos exiens de muri foramine, momordit eum in gutture: quod videns nutrix lacrymari cœpit, beatiſſimique Patris Benedicti rogare auxilium. Puer vero expergefactus territuſque vidit beatiſſimum Patrem Benedictum, veſte monaſtica per feneſtram ad ſe venientem, qui veniens ſanavit viſibiliter puerum, & pro tanto ſibi collato (beneficio) ſeptem omnes Canonicas Horas in honore ipſius Patris Benedicti decantavit.

Quadam vice quidam Peregrini orationis gratia dum ad ſanctiſſimi Patris Benedicti corpus Caſinum venirent, obvius fuit illis quidam Canonicus, quem interrogantes dixerunt: Quis es tu? Ille autem reſpondens, dixit eis: Ego ſum Petrus Apoſtolus: Et illi: Quo vadis? Quibus & Sanctus reſpondit: Vado ad fratrem meum Benedictum ut

cum illo paſſionis meæ diem celebrem . Tunc illi : Cur non perſiſtis in eccleſia tua ? Et Sanctus Apoſtolus , Non valeo , inquit : variis enim procellis eccleſia mea deprimitur . Erat enim dies , quo per paſſionem crucis cælo aſcendit .

Burellus præterea Sangrorum Comes dum quodam tempore , cauſſa prædandi Caſinenſis cœnobii poſſeſſiones , inter S. Eliam , & S. Germanum veniſſet ; mox fulgur de cœlo veniens , lanceam ejus a capite uſque ad pedem diviſit . Tunc ille pavore perterritus diſceſſit, omnibuſque diebus vitæ ſuæ eidem devotus , & fidelis permanſit.

Eodem vero tempore in Apulia quidam armentarius equos cuſtodiens, dum valde ſiti æſtuaret , ad bibendum perrexit ad fluvium ; in quem mox diabolus ingrediens , eum vexare crudeliſſime cœpit . Ductus autem ad ſanctiſſimi Patris Benedicti tumulum , cum ſanguine impurus habitator egreſſus eſt .

Eo vero die , quo ſanctiſſimi Patris Benedicti eſt dedicata eccleſia , quidam viri e civitate Fundana a prædicta dedicatione domum regreſſi , dum percunctarentur a civibus , quid in Caſino actum fuiſſet , reſpondere , dedicatam Patris Benedicti eccleſiam eſſe . Cumque omnes ob hoc Deo laudem darent , quidam inter eos ſurdus aſtabat . Hic igitur cum populum etiam cerneret , & quid eſſet inquireret , interventu Patris ejuſdem , auditum ſtatim recepit.

Eodem vero tempore cum vinum in Caſinenſi cœnobio ob totius monaſterii ſtipendium ad menſuram palmi unius & dimidii eſſet in vaſe , Frater , qui tunc apothecam vini cuſtodiebat , Deſiderio pergens nunciavit Abbati . Abbas autem adhæc: Antequam ad Roberti Ducis curiam pergamus , veni ad me , & quod neceſſarium eſt dabo . Alio autem die ea , quæ Deſiderius dixerat , monachus oblivioni tradens , ad eum minime venit . Sed qui in deſerti regione per quadraginta annos Manna populum pavit , ipſe per tres menſes & dimidium, vinum in vaſculo, unde omnes bibebant, cre-

ſcere

ſcere fecit. Puer vero quidam ex Monaſterii famulis myſteriorum ignarus cœleſtium, valde admirans vinum tantum duraſſe in vaſculo, apothecam adiit vinariam, vinum metivit, & ſtetit eadem hora, & ultra creſcere deſiit. Tunc ad Magiſtrum gratulanter accedens, ait: Ego nunc vinum metivi, quod tantum eſt, quantum ante tres menſes fuit. Monachus autem hæc audiens eum graviſſime verberavit: puer autem ante Magiſtrum ſuum aufugiens, clauſtrum eſt Fratrum ingreſſus, & quid ſibi Magiſter ſuus fecerat, per ordinem pandit. Quem Fratres vocantes dixerunt. Cur tam crudeliter puerum verberaſti? Tunc Frater: Hoc, quod nunc in vino beatiſſimus Benedictus ſua per merita geſſit, multis jam vicibus egit: hic vero ad vaſcula pergens vinum metivit, & ulterius in vaſe non crevit.

Eodem vero tempore beatiſſimus Pater Benedictus, una cum S. Anaſtaſio & S. Pantaleone cuidam monacho de Valle Regia apparuit, eique præcepit, dicens: Vade ad Berardum Comitem Marſorum, & dic cito ei, ut terram, quam monaſterio noſtro abſtulit, agiliter reddat: quia, niſi fecerit, iſto in anno extinguetur a vita. Monachus autem evigilans, ea quæ viderat ſolicita ſecum cœpit mente tractare: viſionique derogans fidem, ad Comitem, ut ei præceptum fuerat, non perrexit. Alia vero nocte ſanctiſſimus Pater Benedictus, rurſus apparuit, ejus protervíam increpans, atque in faciem percuſſit, & niſi celeriter ſua juſſa perficeret, mortem minatur: ſurgens autem invenit dimidiam partem vultus ſui lepróſam. Confeſtim tremebundus Comitem adiit: Interrogatus autem, cur illuc venire voluiſſet, vultum ſuum retegit, & qualiter hoc ſibi acciderat pandens, ea, quæ ſanctiſſimus Benedictus præcepit, ſine mora retexit. Hæc vero dum Comiti referret, palatium egreſſus illico eſt. Cum autem ad locum ſuum reverteretur, alii cum lignis, alii cum lapidibus in capite eum percutiebant. Ille vero commotus civitatem una cum habitatoribus maledixit,

eo-

eodemque anno medietas civitatis igne cremata eſt . Comes autem ea , quæ monachus dixerat , parvi pendens , terram invaſam monaſterio reddere noluit . Quadam vero die dum ſanus incederet , ſubito percuſſus , ad extrema perductus eſt. At vero dum ſpes vivendi ei a medicis promitteretur , Comes reſpondit : ſe certiſſime ſcire , quia ex ſtratu ſuo ulterius non ſurgeret . Nam dum languore depreſſus jaceret , ſitique afficeretur ; audivit vocem, dicentem ſibi : Si aquam biberis , mox ſanus eris . Cumque alius aquam ei dare vellet , B. Benedictus cum alio monacho apparens ei , aquam dare prohibuit . Hæc cum Comes dixiſſet , juxta quod Pater Benedictus monacho dixerat , e mundo diſceſſit.

Alio tempore de magnatibus Capuanis quidam , Pandulphus nomine , collectis undique qui ei amicitia vel vicinitate jungebantur equitibus , ac non parva propriorum militum copia congregata , caſtellum hujus monaſteri diabolica inſtigatione perſuaſus aggredi ac capere conabatur : qui e Capuana urbe ſuis cum ſequacibus , die jam in veſperam vergente , egreſſus ad complendum animo , quod opere conceperat , ſcelus , iter arripuit : id videlicet mente verſans , ut nocturnis tenebris celeritate tanta conficeret , quatenus e ſomno ſurgentes ruſticos præveniret ; ſicque quieſcentibus remque ignorantibus univerſis, improviſa caſtrum circumventione aggrediens , nullis inventis ibi ad repugnationem paratis , facili locum invaſione irrumperet . Egreſſi igitur urbe aliquantulum proceſſerunt , atque ad locum , ex quo non jam diurnam ſed nocturnam , ut eorum doli clam eſſent omnibus , equitationem exercendam poſuerant , pervenerunt ; ubi eis paullulum remorantibus , optata nox pervenit . Tenebrarum igitur filii tenebras magis quam lucem diligentes , illudque quod clamat in Evangelio Veritas : qui ambulat in nocte, offendit , minime timentes ; per cujuſdam fundi agrum egreſſi ſunt , & ad memorati caſtri invaſionem multa cœperunt accelerantia properare . Verum foris nocturnis tenebris,

bris , intus nequitiæ excæcati caligine , recti itineris tramite ad deſtinatum locum proficiſci putantes , per univerſæ noctis ſpatium præfatum circumeuntes agrum , equos confodere, & cruentare calcaribus non ceſſaverunt. Ceterum Creatoris , unicuique juxta opus proprium rependentis , diſpoſitione mirabili , in eo ipſo loco nacti ſunt noctis terminum , in quo noctis ejuſdem habuere principium : ſicque fruſtrati ſpe , opinione decepti , cum aliena eis non conceditur invadendi licentia , confuſi , ac veheementiſſime fatigati , rediere in propria .

Alio vero tempore piſcatores Caſinenſis Cœnobii retia in capturam laxaverant , ut eos , qui caperentur , piſces reficiendis Fratribus deportarent . Cum ecce Normannus quidam mente tumidus , protervo ore , minaci vultu , ſpiritu furibundo ſupervenit : atque ut omnis barbaries illa eſt ad rapinam avida , atque ad invadenda aliena inexplebiliter anxia , unum violenter continuo de piſcatoribus apprehendit : vique ei veſtimento , quo fuerat indutus , ſublato , ipſum mox ſibi induere curavit : deinde in navicula intrans , vim cœpit piſcatori ingerere , ut abſque mora retia ex alto reduceret , quatenus, qui ibi reperirentur piſces , ſecum omnes abſtrahens deportaret . Porro cum piſcator jubentis imperio obedire differret , moneretque furentem , ne piſces reficiendis Dei famulis deputatos in ſuos uſus transferens , divinæ in ſe furorem iracundiæ provocaret ; reſpondit Normannus , ſe piſcatorem noſſe eum, prædicatorem autem minime : ſeque non ex prædicatione illius fructum veniſſe quærere , ſed ex piſcatione : in marique eum piſcari debere , Sacerdotes in eccleſia prædicare . Quid multa ? Cum nullis minis , nulliſque imperiis ad id poſſet Normannus piſcatorem protrahere , ut ſuæ ſatisfaciens voluntati , retia ex profundo extraheret , apprehenſum eum & vehementer cæſum projecit in mare idemque per ſe ipſum retia ex alto volens trahere , repente de navicula cecidit , atque inter-

clu-

cluſus æquore, ſpiritum exhalavit. Priuſque eum mortuum mare reddidit terris, quam piſcator ab eodem in mari projectus, vivus nando pervenire potuiſſet ad terras.

Alio etiam tempore latrones nocte monaſterii hujus ingreſſi cellarium, carnes, caſeum, laridumque inde ſurripientes, ſuos his mercibus ſacculos impleverunt. Foras autem egreſſi ſacculos, quos impleverant, levare conati, minime potuerunt. Dein relicta ſarcina tentantes fugam, per totius monaſterii clauſtra circumeuntes, nullam egrediendi penitus facultatem conſequi valuere. Facto autem mane, cum ſeſe intra clauſtra conſpicerent monaſterii, terrente formidine, reatuſque eos conſcientia remordente, in ſtuporem & quaſi in amentiam verſi, quid facerent neſciebant. Tandem quoquo modo redeuntes in ſeſe, id coniecere eſſe poſſe evadendi conſilium, ſi facie quantum poſſent exhilarata, eis ſeſe, qui ad quodlibet patrandum opus portas egrederentur, quaſi innoxios nulliuſque ſibi ſceleris conſcios commiſcerent. Quod cum feciſſent, egreſſi portas, ne aliqua de eis intuentium mentibus poſſet oriri ſuſpicio, non iter gradu celeriori arripiunt, eam dumtaxat quam in gradientibus ceteris videbant, & ipſi gradiendi modeſtiam conſervantes. Verum omnis illa malitia fruſtra eſt, & in vacuum habita: non enim juxta illam veridicam Salomonis ſententiam: vel ſcientia vel prudentia vel conſilium vires habent contra Dominum: nec poterit calliditatis humanæ verſutiis quibuslibet contegi, quem ille malitiæ propriæ exigentibus meritis decreverit propalari. Nam cum brevi adhuc eos intervallo, a monaſterii foribus terræ ſpatia dividerent (progreſſione) intermiſſa ſubſtiterunt. Cum Cellerarius interea cellarium, ſolita Fratribus ſtipendia præbiturus, ingrederetur, confertos præ cellarii foribus ſaccos invenit: cumque ad viſionem hanc obſtupeſceret, non prius tamen quæ continerentur in ſacculis cura ei fuit conſpicere, quam cellarium ingrederetur, & in eo quæque recondita

Digitized by Google

dita ſtudioſa diligentia rimaretur . Quod cum fuiſſet factum , magnamque in quibuſque repoſitis factam reperiſſet jacturam , cellarium egreditur , ſolutoque ore ſaccorum , quæcumque ſibi ablata doluerat , in eis reperit contineri . Qui vehementer attonitus , & jam quid rei eſſet intelligens , quoſdam de ſervientibus monaſterii , quos & celeritate pedum , & robore virium ad id agendum habiles judicavit , per vergentis montis declivia quæſitum captumque , eos , ſi forte reperirent , mittere procuravit . Qui complentes juſsa cum egreſſi monaſterium paullulum proceſſiſſent , eos ſibi ſtatione conjunctos reperiunt in ipſo montis itinere . Verum , quoniam noti erant , nulla eos tantum facinus commiſiſſe ſuſpicione concepta , prætereuntes eos , arreptum iter inchoata cum celeritate cœperunt . Cum ecce fures , qua occulta vi neſcio , permoti intrinſecus , ſeſe ultra abdere nequeuntes , ingentis poſt curſitantium terga clamorem cœperunt vociferationis emittere , ſeque eſſe , qui eorum curſibus quærerentur , apertis vocibus prodere , eoſque ut ſui miſererentur obnixis precibus flagitare : addentes eorum , quæ de cellario extraxiſſent , ſecum omnino nihil portare , ſed præ cellarii aditu in ſacculis omnia reliquiſſe. Porro , qui miſſi fuerant , his auditis , manus continuo in eos injecerunt , ligatiſque poſt tergum manibus , eos reducere ad monaſterium ſtuduere . Sicut autem in multitudine tanta rariſſimum eſt omnes unius animi reperiri , fuere nonnulli de Fratribus , qui afficiendos verberibus eos, ſicque dimittendos cenſebant . Verum pars major nequaquam horum conſilio acquievit ; quin ſolutos vinculis non prius abire permiſit liberos , quam & copioſe cibo potuque reficeret , atque ut a furtivis ceſſarent quæſtibus, fraterna eos benevolentia commoneret.

Antonius hujus Caſinenſis Cœnobii monachus , dum in locis ſecretioribus crepuiſſet , medicum , a quo in eiſdem ſectus partibus ureretur , diſpoſuerat conducendum . Metu tamen, ſi ſecaretur, percellebatur mortis, quam ex conſimi-

li ſectione nonnullis acceperat contigiſſe : ſi vero ſectionem poſtponeret, importabiles penitus, morteque ſibi deteriores doloris illius ſedulus arbitrabatur anguſtias. Utrimque igitur perculſo formidine, utrimque animo fluctuanti, hoc denique occurrit conſilium, ut ante corpus ſanctiſſimi Patris Benedicti proſternens ſe, confractionis reintegrationem ejus ſibi cælitus meritis intervenientibus poſtularet. Quod cum feciſſet, poſt conſumatam orationem ex altaris crepidine collectum pulverem, colligatum in panno, partibus illis corporis ſuppoſuit, dieque altera plene redditam ſibi ſoſpitatem ad ipſam uſque extremam exhalationem poſſedit.

Hujus cœnobii Fratres ad memoriam ſanctæ virginis Scholaſticæ Cajetæ eccleſiam conſtruebant. Quidam tunc igitur ex operariis in rupis apice, quæ in capite civitatis mari præminet, ſaxa, quibus eccleſiæ parietes conſtruerentur, frangebat. Cui rei operario inſtantius incumbenti, repente ferrum, quo ſaxorum fiebat confractio, de manubrio excidit, ac per ingens præcipitium, quod ibidem patet, delapſum in mare cecidit. Qui mœrens damno, locum, ubi Fratres conſtruendis parietibus dabant operam, eiſdem quod pertulerat notificaturus, advenit. Quo audito, Fratres alterum ad expletionem cœpti operis fieri malleum decernunt. Jamque qui id ocyus exhiberet ad fabrum ferrarium mittendus erat, cum ex eis uni divinitus inſpiratur, ut diceret id nequaquam fieri oportere, ſed ad locum potius, quo deciderat ferrum, mente credula eundum eſſe; manubrium in aquam mittendum; mirandumque, quod per Benedictum Patrem in ſecuri Gotthi patratum eſt, in malleo etiam per eundem Patrem fide inambigua præſtolandum. Fecit Dominus, ut ceterorum nemini, quod dixerat, diſpliceret. Ad mare igitur deſcendentes, naviculam ingrediuntur, gyranteſque ſinum, ad locum, quo mallei ferrum ex manubrio proſilierat, pervenerunt: in quo nimirum tanta erat aquarum profunditas, ut humana qualibet arte reperien-

periendum ibi, quod deciderat, ferrum prorſus cernerent impoſſibile. Quid plura? mittitur in mare manubrium, cæleſtique metallum perſenſo imperio, de profundo eductum aquarum, hora manubrio adhæſit eadem.

Angelus in hoc cœnobio monachus dictus eſt, cujus profecto vita nomini diſſimilis viſa non eſt: qui dum languore præventus, ultimum clauſiſſet diem, dæmone obſeſſus quidam forte fuerat coquinam ingreſſus, qui repente cœpit vociferationibus ſtrepere, ac ſe furibundus a terra deſiliens, in aere elevare; magnis clamoribus conquerens, vim ſibi Benedictum inferre: O quidnam, inquiens, hac hora mihi, Benedicte, feciſti? Angeli mihi animam ob exigui geſtaturam cuculli auferens, tuo in cæleſtibus gregi admiſcuiſti. Cumque omnes qui aderant, ad hæc verba ſtupefacti intenderent, & ad quid iſta diceret, ignorarent; repente ſignum, quo ſolet Fratrum obitus nuntiari, inſonuit: quo audito, omnes de more Fratres ad domum infirmorum tendunt, memoratumque Angelum vita jam privatum reperiunt. E quibus tam immaniter tamque lugubriter conquerentis verbis dæmonis, & potiſſimum ex innocenter religioſeque tranſacta monachi vita, evidenter omnibus conſtitit, quod a præfati Fratris anima, omnis partis adverſariæ damnatio, Benedicti Patris Sanctiſſimi ſuffragio, eſt repulſa.

In diæceſi Teatini Epiſcopatus, ad radicem montis, cui Magellæ nomen eſt, ſitum eſt monaſterium, quod S. Liberatoris dicitur, huic Caſinenſi cœnobio ſubjectum, in quo Fratrum non exigua multitudo diſtrictioni monaſticæ diſciplinæ deſeruit: in cujus vetuſto dormitorio nocte quadam quieſcentibus, eorum uni ſanctiſſimus Pater Benedictus monaſtico indutus habitu apparuit, atque ut celerrime ſurgeret imperavit. Ad quod continuo præceptum Frater experrectus, ſurrexit: ad quem Pater Benedictus ait: Vociferare pro viribus, magnique voces clamoris emitte, utque Fratres omnes ſurrectionem exitumque de cella accelerent, vo-

P 2 cis

cis inſtantia adhortare ; ſciens amoto dubio , eam in qua quieſcitis cellam ocyus & ſub omni caſuram celeritate. Pavet auditu Frater , fidemque indubius dictis adhibet : obtemperat imperanti , vociferatur , exclamat , omneſque ſi caſum mortemque velint effugére impendentem , ut exeant hortari non ceſſat : atque ne reniti quiſpiam vellet hortanti , quæ viſa quæque ſibi fuerant , mandata revelat. Ut mortis periculo fides ſolet citius adhiberi , credunt omnes , ſurgunt confeſtim , curſuſque rapiditate mira egrediuntur . Egreſſi fuerant univerſi , jamque ab eis fuerat inchoata nocturna ſynaxis : cum ecce ruentis cellæ ſtrepitus aures percellit pſallentium . Cumque poſt ruinam ingreſſi diligenter exquirerent , ne quem forte in cella reſiduum ruens ædificium contriviſſet , reperiunt de Fratribus quemdam , qui ſenectute gravatus , exitum non potuit maturare , cum cellæ ruinis vallatum . Sed cum non ſolum non oppreſſum , ſed ne attactum quidem vel exiliter cernerent ; ſtupentes quæ tantæ ejus potuerit eſſe cauſſa protectionis , inquirunt . At ille: Cum domus, inquit, fatiſcens funditus ſuper me laberetur , repente fulgoris mihi Monachus aſtitit incredibilis , ruinamque me opprimere imminentem brachio ſuſtentans ſuo , incolumem me , ut ipſi cernitis , conſervavit.

Quidam Frater in eodem loco Joannes dicebatur, qui ætate & ægritudine preſſus , non longis a morte ſpatiis diffidebat : cui dum die quadam Fratrum aliqui matutinas laudes de more celebraturi veniſſent , compeſcuit eos ſenex, dicens : Non eſt , inquit , neceſſe , ut his mihi divinarum laudum debitis perſolvendis Fratres ulterius laboretis: Dominus enim Abbas cum Fratrum multitudine non exigua , albis omnium veſtibus indutorum , me modo reviſere eſt dignatus , meiſque in auribus cum eiſdem officii debitum matutinalis perſolvit ; ſeque cum eis ipſis poſt paullulum eſt pollicitus rediturum , meque ad eam , quam ipſi incolunt , domum aſſumpturum . Dum ad iſta Fratres attoniti in faciem loquen-

tis

tis intenderent, & an vera quæ retulerat eſſent, præſtolarentur ſolliciti; una vix interim elapſa hora incredibili vultus hilaritate, extremum Frater halitum expiravit: ut ex ipſa morientis, quam facie prætendebat, lætitia aſtantes quique facile judicarent, Dominum Abbatem, ideſt ſanctiſſimum Patrem Benedictum, ad propriam exolvendam promiſſionem veniſſe.

Cum die quadam de Manſionariis unus ante corpus B. Benedicti accenſam lampadem uſque ad ipſa fere laquearia elevaſſet, repente lampas lapſa in pavimentum cecidit: mirabilis in factis ſuis Dominus! non ſolum non eſt fracta quæ deciderat lampas, ſed nec effuſum oleum, nec ignis extinctus.

Tempore alio Georgius Paramonarius lampadem ante imaginem Salvatoris, quæ ſupra fores eccleſiæ picta eſt, dependentem venerat refecturus: & ecce videt eam tenſis uncinulis dependere in aere, nulla prorſus eam præter ipſum aera materia ſuſtentante. Convocatis Georgius Fratribus, qui non eminus aberant, quod miratur, oſtendit; ipſique poſtmodum cum eo pariter hujus teſtes extitere miraculi.

Nocte qua præcedebatur dies de tranſitu ſancti Patris noſtri Benedicti feſtivus, dum ad vigilias unus e cuſtodibus lampadem ante imaginem ejuſdem Patris Benedicti dependentem reficeret, lapſa ſubito lampas in pavimentum ruit, illæſaque permanſit: quæ iterum elevata, iterum cecidit: erecta tertio, tertio lapſa eſt, & nullo eorum caſuum vel fractionis lampas, vel effuſionis olei, vel ignis extinctionis pertulit detrimentum. Plurimis prærerea vicibus aliis ſigna conſervationis hujuſmodi in Caſinenſis ſunt eccleſiæ lampadibus demonſtrata.

Qualiter autem Dominus locum iſtum intervenientibus ſanctiſſimi Patris Benedicti meritis de perſecutoribus multotiens eripuit, pandendum eſt. Dum Atenulfi Abbatis temporibus Aquinenſis Gaſtaldi inexplenda cupiditas Caſinenſis acri-

acriter monaſterii prædia infeſtaret, & neque ſervorum Dei precibus neque ſanctiſſimi Patris Benedicti, qui hujus primus Fundator cœnobii extiterat, reverentia ejus emolliretur animus, ad infeſtationi quantamlibet adhibendam temperiem; neceſſitate compulſus Abbas, robuſtiſſimos ſibi aliquot ex Normannis aſcivit, qui bonorum noſtrorum adverſus memoratum Comitem pugnis eſſent mutuis protectores. Tenuere Atenulfo vivente eiuſque proximo ſucceſſore, Normanni integritatis fidem, bonorumque noſtrorum omnium fidiſſimi adverſus omnes extiterunt, ac validiſſimi defenſores. Memoratis Abbatibus ingreſſis iter univerſæ carnis, cum noſtrorum fortuna Principum, qui eoſdem hic Normannos adduxerant, paullatim cœpiſſet minui; qui ad defenſionem noſtram aſciti Normanni fuerant, in bonorum noſtrorum ſenſim cœperunt direptionem graſſari, eorumque rabies, in noſtram canceris inſtar quotidie ſerpens perniciem, modo hæc modo illa auferre. Diripuerant, invaſerant, abſtulerant omnia, ſola noſtris commodis civitate, quæ ad radicem montis ſita eſt, cum quatuor vel quinque fundis villarum reſidua. Quo autem animo perferret vexationem tantam ſuorum Benedictus Pater ſanctiſſimus, hujuſque loci cuſtos ac defenſor perpetuus, ruſticorum noſtrorum cuidam per viſionem apparens, eſt dignatus oſtendere. Exhibens igitur dormienti ſe ruſtico Benedictus Pater, ut ſua egrediens veſtigia ſequeretur, præcepit: qui jubenti parens egreditur, ſanctique Patris veſtigia comitatur. Cum ecce intuetur eum virga, quam manu videbatur geſtare, Normannos omnes, horum incolas finium, duris percuſſionibus cœdere, eoſque rebus vacuos, verberibus ignominiaque onuſtos, ab hujus monaſterii territoriis prorſus eliminare. Anno autem illo, quo hæc viſio facta eſt, cum invaſa arce, quæ S. Andreæ dicitur, jam tuti ſecurique nunquam ſe perpetuo his finibus expellendos confiderent; die quadam conglobati in unum, civitatem hanc noſtram, quæ

S. Ger-

S. Germani dicitur , quæqne nobis , ut dixi , ſola ſuperfuerat , eam ſuis uſibus , ut cetera omnia , intrant mancipaturi . Exeruit tunc ſanctus Pater , quam ruſtico oſtenderat virgam , quodque in ſomnis per imaginem monſtraverat , ipſa veritate complevit . Ita enim civibus noſtris , iſtis , ut a Normannis putabatur , effæminatis , ita , inquam , eis animus , ita vigor , ita vires ſunt auctæ , ut eorum aliquos caperent, multos in ore gladii trucidarent : effugati ceteri in prædictæ munitionem arcis curſu ſe velociſſimo contulerunt . Sed nec adhuc illis Benedicti virga pepercit: animati omnes accolæ terræ hujus , facto exercitu ad præfatæ arcis expugnationem contendunt . Mira dicturus ſum, veriſſima tamen . Obſeſſione facta , dum ex parte utraque jacula acriter pulſa emittuntur, Normannorum jacula , velut ventorum retorta flamine , in ſeſe reducta ſauciant jaculantes . Quid multis ? Videntes Normanni durum ſibi contra ſtimulum calcitrare, dexteramque pro nobis dimicare divinam , reddentes arcem , Abbatis ſeſe manibus Monachorumque committunt : a quibus vix defenſi a multitudine , quæ in eorum ſpirabat necem , ad ſocios Averſano in oppido commanentes, quanta poſſunt celeritate contendunt : hodieque ſuperſunt aliqui ejuſdem arcis incolæ ; qui aſserunt in ipſo gravi utriuſque partis conflictu vidiſſe ſe quemdam Monachum , viriliter contra Normannos pugnantem , ſuoſque enixius confortantem , cum nemo, qui tunc aderant, Monachorum ſe illi pugnæ miſcuerit.

Radelchis Compſanus Comes vir fuit ſceleſtiſſimus , omnique vitiorum labe repletus, qui relicto ſeculo, cervice tenus catena ligatus, ad Benedicti beatiſſimi corpus, devotus devenit . Cujus nimis auſteræ , ac per hoc fructuoſæ pœnitentiæ invidens diabolus, ſimul & dolens, multis audientibus circa monaſterii clauſtra ſæpiſſime voce magna clamabat , dicens: Heu me, heu me, Benedicte, cur tam nequiter mihi præjudicas ? Cur me ſic inſtanter perſequeris ?

Non

Non ſat fuit tibi , ut me ipſum hinc expelleres ? inſuper & modo infideles undicumque tibi vindicare non deſinis ? Heu me ! heu me!

Henricus Imperator cum ducatus ſui tempore iter agens , in monaſterium quoddam Benedicti Patris nomini dicatum hoſpitatus fuiſſet , quoniam multitudini equorum ejus ſtabula ſola non ſufficerent , in ipſo Fratrum Capitulo , quod juxta eccleſiam erat , ejus ſtabularii audaciter ac pertinaciter equos locare veriti non ſunt . Nocte igitur eadem Pater Benedictus , eidem duci torvo nimis ac terribili vultu apparens , eique multa , quod ita in domo ſua per ſuos tractaret , minatus ; virga , quam manu geſtabat , illius latus percuſſit, & ex tunc dolore ilii torqueri vehementiſſime cœpit . Qui poſtea ad corpus ejuſdem Patris Caſinum veniens , ab eodem ſanctiſſimo Patre ſanatus eſt .

Dæmoniacus quidam de civitate Barenſi , Andreas nomine , die quadam Caſinum venit , atque , ut eſt conſuetudinis , a propinquis qui eum adduxerant ante corpus beatiſſimi Patris Benedicti jactatus eſt . Cumque Fratribus in choro pſallentibus, ineptas quaſdam & horrendas nequam ille ſpiritus per os miſeri illius vociferationes emitteret ; Adam Manſionarius in parte ſtans & orans , vidit ſubito ſanctiſſimum Patrem Benedictum ante ſuum altare , qui alapa non modica maxillam vexati illius percutiens, malignum ab eo ſpiritum protinus expulit : & ita ſanatus ille , cum affinibus ſuis Deo , & Patri Benedicto gratias agens , ad propria rediit.

Interea dum Aquinenſes Gaſtaldi , more ſibi ſolito , Caſinenſe cœnobium infeſtarent , & venerabilis Abbas Richerius poſſeſſiones monaſterii ſtrenue ſatis defenderet ; tandem ab eiſdem Gaſtaldis capitur , atque Aquini in carceris ergaſtulo religatur . Fratrem autem univerſi , qui pedites incedere poterant , Aquinum pariter properantes , Abbatem ſibi reſtitui lacrymabiliter poſtulant. Sed fruſtra precibus fuſis ,

neque

Digitized by Google

neque videndi illum neque alloquendi facultate permiſſa, ſine aliquo effectu ad propria redierunt . Abbas vero ſolutus a vinculis, monaſterii curam relinquens, ultra montes profectus eſt. Sed pius mundi Conditor dilectum ſuum Benedictum contriſtari vel ad modicum minime patiens, graviſſimam peſtilentiam in civitate Aquinenſi immiſit, & Guaſtaldo ejuſdem urbis Sinconolfo nomine, qui auctor tanti fuerat ſceleris, interempto duo millia quingenti mortui ſunt. Supradicti igitur Guaſtaldi fratres Adenulfus & Lando, divinitus ſe percuti ob injuriam Caſinenſis Abbatis videntes, mox ad Caſinenſe cœnobium cum populo ejuſdem urbis, ligatis colla reſtibus properantes, flentes & ejulantes, magnis ſe vocibus in tantum virum graviter deliquiſſe, & tam venerabilem locum nequiter vilipendiſſe profeſſi ſunt, atque hoc modo Abbas ad cœnobium reverſus eſt.

Comes præterea Normannorum Rodulfus ſocios ad ſe ſuos evocans, ſtatuit in terra beatiſſimi Patris Benedicti prædare. Cumque hoc apud illos firmiter decretum fuiſſet, die illo, quo id ſe facturum paraverat, terribili Dei judicio mane ſubita morte necatus repertus eſt. Quo facto tam ingens terror reliquos Normannos invaſit, ut ulterius, neque invaſionis neque prædationis gratia, in hanc terram venire apponerent. Denique ad manifeſtam hujus loci vindictam, centum quinquaginta ejuſdem comitis Normanni milites intra ipſum ferme biennium diverſis in locis diverſa morte conſumpti ſunt.

Deſiderii porro Abbatis in tempore cum Caſinenſe cœnobium a fulmine ſæpiſſime attereretur, & prædictus Abbas multotiens cogitaret, ac Deum Patremque ſanctiſſimum Benedictum rogaret, ut ſibi revelare dignaretur, quidnam eſſe vellet, quod ſic frequenter hunc locum prædictum flagellum attereret; quadam nocte ei Sanctiſſimus Pater Benedictus apparuit, eique inter alia ſolicite percunctanti de hoc, nihil aliud quam diabolicas inſidias & antiquam

Q pro

pro loco ipſo invidiam eſſe perdocuit.

Quidam Frater in Caſinenſi cœnobio Majo dictus eſt, qui qualiter a diabolo interfectus ſit, qualiter per ſanctiſſimum Patrem Benedictum ereptus ſit, præſens teſtimonium declarat. Hic igitur dum in domo infirmorum ſenio feſsus maneret, in Nativitate Domini ad ſeceſsum ob ſui corporis infirmitatem pergebat: cumque ad diverſorium tenderet ſenum, diabolus humanam effigiem præferens, eidemque Fratri apparens, dixit ad eum: Scio quo pergis; ſed quia decrepito jam ſenio feſsus, abſque adminiculo illuc tendere per noctis tenebras minime vales; ego ero dux itineris tui. Hæc dum prædictus Frater audiſſet, putans eum hominem non diabolum eſſe, nullumque in verbis ejus dolum exiſtimans, poſt eum pergere cœpit. Cumque ad feneſtram magnam, quæ in medio palatii eſt, perveniſſet, antiquus humani generis inimicus, eumdem ſenem exinde præcipitans, interfecit. Fratres vero quid de eo eveniſſet ignorantes, cum eum ubique quærerent, & non invenirent, monachus quidam, Joannes nomine, Leonis Oſtienſis Epiſcopi germanus, eminus ad eamdem accedens feneſtram, deorſumque reſpiciens, vidit eum ad pedem muri mortuum jacentem, & ad ſe Fratres evocans, quæ viderat per ordinem pandit. Quod dum Fratres audiſſent, ad locum continuo, quo defunctus jacebat, miſere, eumque in monaſterium deferentes cum triſtitia magna ſepelierunt. Alio vero die Oderiſius ejuſdem loci Reverendiſſimus Pater ad ſe Fratres evocans, æternæ reſeratorem juſtitiæ, Patremque Benedictum precibus pulſare admonuit; ut qui olim Danieli profunda revelaverat myſteria, ipſe eis, qualiter vel quo ordine prædictus Frater ex hoc mundo receſſiſſet, pandere dignaretur. Igitur dum Fratres juxta tanti Patris præceptum, ob hujus rei negotium Deum Patremque Benedictum exorarent, Placido hujus cœnobii religioſo monacho idem ſenex per viſionem apparens, dixit ad eum: Cur, Pla-

Placide Frater, triſtaris? Ad quem Placidus: Non ſolum ego, ſed & Dominus Abbas una cum reliquis Fratribus de tuo obitu valde contriſtati ſunt, Deumque pro te poſtulare non ceſſant: unde per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum te adjuro, ut, qualiter tibi hoc accidit, per ordinem pandas. Ad hæc ille: Cum ad lectum meum tenderem, diabolus humanam effigiem præferens, mihi apparuit, & poſuit me in feneſtram maximam, quæ in medio palatii eſt, & ſic ex eadem me præcipitans interfecit. Cumque per viam carbonibus plenam me duceret, ac me ſæpiſſime in eodem igne volutaret, ſanctiſſimus Pater Benedictus nobis euntibus apparuit: quo viſo, dæmones ſtatim me relinquentes fugerunt. Tunc me ſanctiſſimus Pater Benedictus accipiens ſecum duxit, & in locum refrigerii collocavit. Et hæc dicens, diſparuit. Quod dum prædictus Frater narraſſet, illico ora cunctorum in Chriſti laude ſoluta, Deo & Patri Benedicto gratias retulerunt.

Nocte quadam cum Georgius Paramonarius, cujus ſuperius mentionem feci, in ſtratu ſuo quieſcens vigilaret, audivit duos pueros in eccleſia mira ſuavitate cantare. Sciens itaque pro certo neminem monachorum eſſe in monaſterio, qui puerilem vocem haberet, cœpit mirari, & feſtivus ſurgens eccleſiam ingreditur; nullumque ibi reperiens, & quod in re erat advertens, amplius mirabatur.

Cum juxta conſuetudinem Caſinenſis eccleſiæ dedicationis ſolennitas celebraretur, quidam e Fratribus, Joannes cognomine Cominenſis, fatigatus in officio, ſecunda vigilia de eccleſia egreſſus eſt, ac, ut aliquantulum refocillaretur, juxta ſedem Abbatum, quæ ſecus Capitulum in clauſtro ſita eſt, reſedit: & cum caſu oculos vertiſſet ad dormitorium, vidit ex eo Abbatem Deſiderium (eum enim inter ceteros melius cognoſcebat) magno monachorum comitatu egredi, atque per eam partem, qua refectorium eſt, in eccleſiam pergere. Dum intueretur diligenter Joannes, quid aga-

Q 2 tur;

tur ; aſpicit unum ex illis venire ad ſe : ad quem cum veniſſet, interrogatus ſi eum agnoſceret; reſpondit : Agnoſco; Scio enim te eſſe Dominum Mirandum, qui ante non multos annos defunctus es : rogo autem te , ut quis ſit ille , qui juxta Dominum Abbatem Deſiderium graditur , indices . Ille, ait Mirandus, eſt Beatiſſimus Pater Benedictus, qui vero cum eo pergunt , ſunt omnes , qui ei in hujus monaſterii regimen ſucceſſerunt , & unumquemque eorum monachi , qui ejus tempore fuerunt , ſequuntur : venimus autem , ut vobiſcum laudes Creatori ac Recreatori noſtro reddamus . Obſecro , ait Joannes , ut quis ille ſit , dicere digneris , qui quaſi claudus incedit , & vobis appropinquare non poteſt . Dominum , inquit , Landenulfum eum eſſe noveris , qui idcirco nobiſcum jungi non valet , quia ejus precibus & conſilio Atenulfus ille in hoc monaſterio receptus eſt : quem, ut noſti , propter illud , quod de Tremitenſi monaſterio fecerat, Dominus Deſiderius Abbas excommunicavit, & excommunicando vetuit , ne ulterius in hoc monaſterio reciperetur : verum ſi vos vultis , poteſtis eum noſtro collegio ſociare . Si enim abeuntes ſuper ſepulchrum ejus abſolutionem ſuper hoc illi feceritis ; mox ab hac pœna ſolutus, cœtui , quem vidiſti, jungetur . His dictis, qui loquebatur receſſit , & viſio diſparuit . Revertitur Joannes ad chorum , & facto die , viſa dictaque Abbati Oderiſio retulit : qui, ut erat pius in omnibus , poſtulata venia coram omnibus , eo quod & ipſe eidem rei aſſenſum præbuerit , excommunicatumque illum receperit ; abjens pro periclitantis Fratris anima ſacrificium Deo obtulit , pergenſque ut erat indutus veſtibus ſacris , ſuper ſepulchrum prædicti Fratris abſolutionem fecit .

In partibus Liburiæ eſt monaſterium in honorem beati Patris Benedicti conſtructum , & Caſinenſi cœnobio , ab ipſo ſuæ fundationis exordio ſubditum : ad quod cum quidam Frater ad triticum a ruricolis accipiendum directus fuiſ-

fuiſſet; ruſticus quidam, a quo triticum exigebatur, intempeſtæ noctis ſilentio ſaccum frumento implens & ſuper humeros ponens, fugam arripuit. Sed o verax per cœleſtem lata ſententia Regem! Qui ambulat in tenebris, neſcit quo eat, quoniam tenebræ abcæcaverunt oculos ejus: nam qui juſsu principis tenebrarum omni conamine, omnique inſtantia (cœptum iter) implere niſus eſt, per viam rectam ſe incedere cum tritico putans, totam noctem in circuitu deambulavit. At ut Titaneum jubar ſplenduit arvis, in ſe ruſticus rediens, & quod in re erat advertens, volebat cum tritico regredi & nequibat; volebat triticum de collo ſuo deponere, & minime poterat. Monachus vero completis hymnis matutinalibus ab eccleſia egrediens, eumque divinitus ligatum aſpiciens, poſtquam ab ipſo totius rei ſeriem didicit, orationem Deo Benedictoque Patri ſanctiſſimo fundens, ruſticum a nexu, quo tenebatur, ocyus ſolvit.

Quidam Frater in hoc Caſinenſi cœnobio fuit, moribus & vita ſtrenuus ac religionis converſatione decorus: hic graviſſimo languore correptus, cum omnes Medici de ejus ſalute deſperarent, prædictus Frater ſuorum conſcius ſcelerum, cœpit hæc cum maximo fletu proloqui: Ecce finis meus appropinquat: ecce ſtatutus terminus appropinquat: ecce terminus, qui præteriri non poteſt ecce mors intolerabilis inſtat. Omnes de me loquuntur; univerſi pro me triſtantur, cuncti poſtremo de vita mea deſperant, & de ſola cogitant ſepultura. Heu me! qualiter evanuere, ut fumus, dies mei! Sicut flos fœni ſubito decidit vita mea, & quomodo umbra tenuiſſima pertranſiere tempora mea. Inſperate velut a texente præciſus ſum, & improviſe dum adhuc ordirer ſucciſus. Heu miſer! quid nunc acturus ſum, quam ſatisfactionem habiturus. Quamvis enim ſæpe & multotiens diſpoſuerim, & nunquam incœperim vitam meam mutare, mores corrigere, negligentias emendare; ſed deſidia, ſed oblivio, ſed negligentia uſque in hunc diem prævaluere miſero

ſero mihi. Ecce venit juſſio, venit imperium. Heu me! quid agam nunc? non eſt amplius remorandi conſilium, non eſt ullus ſatisfaciendi relictus locus, & juſte quidem & merito: nam cum & ſcientia & intellectus & poſſibilitas & locus & omnis omnino opportunitas ad id mihi conceſſa ſit, ad quid excuſatio hæc? O me miſerum! O me dolentem! quid faciam? quid agam nunc? Ecce tempus, ecce diem, ecce horam, quam ſemper quidem miſer non timueram, ſed ſemper deſidioſus neglexeram. Venit migrandi præceptum, non eſt refutandi conſilium: imperanti parendum eſt, appellanti non contradicendum. Ecce ingreſſurus ſum viam univerſæ carnis, iter inevitabile. Putaſne lucis Angelus, quod magis opto, aut forte nequam ſpiritus, quod magis formido, primum mihi in illa occurret? O diem tremendum! O horam pertimeſcendam! Quid agam tunc? quo fugiam? quem interpellem? O terror, o pavor qui tunc me manet! Segreganda eſt anima a corpore, ſpiritus emittendus a carne. Quantæ putas tunc aderunt vel ſanctorum Angelorum, vel nequiſſimorum ſpirituum phalanges, decertantes miſeram tunc animam meam vel ſuſcipere vel invadere? Sed Dominici Corporis & ſanguinis refectione roboratum, triumphalis redemptionis omnium vexillo crucis armatum, & poſtremo ſanctorum virorum interceſſionibus commendatum pariter & comitatum, quem tandem nequitia dæmonum, quem violentia malignorum ſpirituum, licet hinc inde circumlatrent, licet omnimodis terrere conentur, audebit attingere? Aderit ad hæc beatiſſimus Archangelus Michael, cui a miſericordiſſimo Deo ſuſcipiendarum fidelium animarum cura commiſſa eſt: accurret cum agminibus ſuis Princeps cœleſtis militiæ, ſpirituum nequiſſimorum catervas, ſi quid forte violentiæ ferre tentaverint, acriter debellaturus. Nec plane ut ſpero & confido imo veraciter credo, uſque ante majeſtatem æquiſſimi Judicis animam meam lucis Angelus derelinquet. Ecce finis meus appropерat.

rat. Sed qui tunc metus, qualis terror, quantuſque tremor de peccatorum meorum recordatione? Rurſus quanta ſpes, quam magna fiducia me de miſericordia, de pietate, deque clementia benigniſſimi Judicis obtineat, quis putas exiſtimare ſufficiat? Domine, quid putas mihi ſolatii, quid auxilii, quid tutelæ collaturus eſt Angelus proprius, cui a die ortus mei ſpecialius curam animæ meæ delegaſti, qualiter putas ſe circa commiſſam ſibi animam habiturus erit? Utrum illam lætus & alacer comitari, confortare, tueri, ac reſovere uſque ante præſentiam ſublimiſſimæ majeſtatis habebit, an fortaſſe, quod magis propter immenſitatem peccatorum meorum vereor, non valens innumeris dæmonum objectionibus obviare, anhelus a longe, triſtis & mœrens incedet? Qualiter, putas, Pater Sanctiſſimus Benedictus mihi ſuffragaturus eſt? qualiter me ſuſcepturus? O me infelicem! quin timeo ne non ſolum mihi nullum auxilium conferat, ſed potius pro innumeris offenſionibus ſeu negligentiis meis, necnon quotidianis tranſgreſſionibus Regulæ ipſius deſpiciat, & oculos a me ſuæ paternitatis avertat. Spero tamen atque confido, quod ſi pro meis facinoribus gratia ejus indignus ſum, Confratrum tandem exhortationibus exhortatus, parcet mihi, atque placabitur, & paternæ ſuper me viſcera pietatis aperire dignabitur, & miſericordiſſimum pro me Dominum exorabit. Putaſne tunc vel ſanctiſſima Dei mater Maria, vel aliqui Sanctorum (in quibus, dum valerem, pro maximo amore, quem in illis habui multum ſperavi, & in quibus fiduciam totam locavi) in tanta neceſſitate mihi poſito aderunt? Putas mihi in tam magnis anguſtiis conſtituto ſolatium ſuæ conſolationis impendere, aut aliquam vicem mihi dilectionis aliquo modo rependere dignabuntur? Putas pietate aliqua ſeu compaſſione ducti ſuper me, & meæ devotionis memores, interceſſores aut advocati pro me ad ſublime diſtricti Judicis ſolium acceſſuri, vel reconciliationis mihi gratiam reportaturi ſunt? Sed quoniam me omnino indignum

dignum propter immenſitatem nequitiarum, cæleſtis regni beatitudine electorumque ſocietate cognoſco, vel hoc mihi utinam impetrent, ut non condemner cum impiis in inferno, ut vel in extremo judicio non cum damnandis ad lævam, ſed merear reſurgere cum ſalvandis ad dexteram; ut vel ultimus omnium tunc electorum inveniri poſſim in regno cælorum.

Talibus cogitationibus cum per dies aliquot fluctuaret, & hæc & hujuſmodi dies noctesque cum tremore nimio meditaretur, ac orationes inceſſanter pro eo fierent; Benedictus Pater ſanctiſſimus, una cum diſcipulis ſuis Mauro, & Placido, in cœtu Sanctorum medius conſtitit, & os ſuum aperiens ſic paucis eos alloquitur: Quoniam quod ſanctitati veſtræ ſuggeſturus ſurrexi, bene & optime vos noſſe non dubito; relatione ipſa poſthabita, quod eſt in re, ad auxilium vos feſtinanter conferendum invito. Dignum itaque, ſi placet, & opportunum videtur, ut nos primum (quos ſpecialis devotio & nimius amor Fratris illius, de quo ſermo agitur, dum valeret in ſæculo, celebres habuit, & in quibus poſt Deum ejuſque Genitricem ſpem omnem fiduciamque ſui locavit) ad prædictæ Dei Genitricis Mariæ pietatis ſimul & potentiæ pleniſſimam curiam properemus; eamque, ut ſuper hac re piiſſimum filium ſuum una nobiſcum poſtulare dignetur, ſuppliciter obſecremus. Nondum Pater Benedictus terminum dederat, cum ecce primus omnium dilectus Deo præ ceteris ſanctiſſimus Evangeliſta Joannes protinus aſſurgit, ſeque non ſolum ſponte cum illis iturum aſſerit, verum ut mox & ſine mora aliqua pergatur, quod dictum fuerat, adhortatur. Aſſentiuntur in hanc ſententiam omnes, & inde ſurgit primus, quo non major inter natos mulierum Chriſto teſtante ſurrexit, Baptiſta Joannes: hunc Apoſtolorum vertices & mundi lumina Petrus & Paulus, aſſociato ſibi Bartholomæo ſequuntur: hos etiam comitantur Martyres, & Levitæ præcipui, Stephanus atque Laurentius, Apolli-

Apollinaris, Sebaſtianus, Gervaſius atque Protaſius, Joannes & Paulus, Nicander, Martianus & Mauritius cum ſociis ſuis, Martinus, Ambroſius, Paulinus, Nicolaus, Hilarion, Severinus: his poſtremo conſociantur Scholaſtica, Agnes, Cecilia, Lucia, Agatha, Sabina: hi omnes mundi Reginam Virginem Mariam adeunt, eique ſuper Angelorum choros exaltatæ ſuppliciter proſternuntur. Dehinc Benedictus Pater accedens propius ait: Non, inquit, ignorat pietas tua, mi beatiſſima Virgo, quoniam Frater hic, pro quo rogaturi advenimus, licet negligenter admodum ſe ac pueriliter circa propoſitum ſuum habuerit, ſed multotiens ſe corrigere, multotiens vitam mutare, ac frequentiſſimis correptionibus ſuas negligentias conatus eſt emendare. Super hoc autem, quod fideliſſimus in domo noſtra & utiliſſimus extiterit, & ipſius ſui Abbatis, & Confratrum, & omnis cœtus teſtimonio certificatur. Illud etiam non mediocre hujus rei teſtimonium eſt, quod omnes in immenſum pro illo triſtantur & gemunt, qui univerſi pariter pro illo ſuſpiria, lacrymas multipliceſque preces effundunt. Cuncti ſimul mihi inſtantiſſime ſupplicant, & ut ei priſtinam a Domino ſalutem obtineant, die noctuque inceſſanter exorant. Quid dicam? Vix reminiſcor umquam pro aliquo alio in domo noſtra tot vota, tot preces (fieri. Horum) lacrymas gemituſque deſpicere, utilitatem poſtremo monaſterii diſſimulare, inhumanitati quodammodo & crudelitati imputaretur. Quapropter ad tuam omnipotentiſſimam pietatem cum fiducia tota convenimus, utque miſericordiſſimi filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti thronum adire, eumque ſuper hoc exorare digneris, oramus. Scimus enim pro certo atque confidimus, illum tibi nil negaturum, ſed protinus, quidquid popoſceris, conceſſurum. Nec immerito, quoniam ipſe, qui creavit te, naſci eſt dignatus ex te, & proinde nullum libentius audit, quam te. His dictis, annuit pia mater, ſoliumque benedicti filii omnes adeunt, & ſuam

 expo-

expoſuit petitionem dulciſſima Virgo. Non continuere ſe ſuper his viſcera miſericordiæ Dei noſtri; ſed mox cuncta, quæ poſtulaverat, gratuita ſua bonitate conceſſit. Frater igitur ille priſtinæ ſanitati redditus ea, quæ in ſe Dominus interventu ſuæ Genitricis, beatique Benedicti geſſerat, palam omnibus enarrabat.

Ugo quidam Tranſalpinus miles, cui de Alba-Spina cognomen inditum fuerat, iſtis in partibus apud pleroſque Comites ſuis armis ſerviens, ditiaque ſtipendia lucrans, rebus ſatis proſperis dulciſſimæ juventutis voluptatibus fruebatur: erat enim cum manu promptus, tum ſermone facundus. Is cum Raone Rachis filio, Teanenſis civitatis Comite, ipſa cœnæ Dominicæ ſolennitate ſanctum Paſcha celebraturus ad hoc monaſterium devotione non modica veniens, declivis montis ſcabroſa via equitaturus, concidens horribiliter nimis, fracturam crurium paſſus eſt, & non aliter quam in lectulo huc aſportari prævaluit: moxque ſe ante B. Benedicti corpus poni inſtantiſſima prece depoſcit, ibique magnis clamoribus vociferans totum diem flendo conſumpſit. Cumque ſequentis noctis tenebræ diei finem imponerent; Manſionarius eccleſiæ foras illum deferre famulis quibuſdam mandavit. Ille autem magnis ſacramentis conteſtari cœpit, ſe nullo modo, niſi convaleſceret, inde exiturum, & ajebat: Hic, hic ante illius corpus, cujus cum ardenti deſiderio curiam viſitarem, tanto mei corporis uſus ſum infortunio; hic, inquam, ad illius injuriam continue jacens, extremum diem claudam, niſi conſuetam ſibi protinus mihi tulerit opem. Quibus dictis, recedentibus cunctis, ipſeque ſemiſopitus pauliſper obticuit. Cum ecce videt ſancroſanctum altare, in quo beati Patris corpus eſt reconditum, quaſi divinitus aperiri, indeque venerandæ canitiei virum egredi, illo ſcilicet habitu, quo in feſtivis proceſſionibus Abbates uti conſueverunt. Qui propius accedens, & fracturæ locum benigna manu contingens, dixit: Ecce ſanus factus es, clamare jam deſine. Æger autem

tem

tem continuo ſurgens , ſanus & incolumis noctem illam in Omnipotentis laudibus expendit . Mane autem facto rem geſtam innotuit , gratiarumque actiones Deo & Patri Benedicto permagnificas reddidit . Poſt feſtum itaque non minori , quam decuit mentis lætitia celebratum , Teanum Ugo rediit , cæleſtiſque ignis ardore caleſcens , mundo mundaniſque omnibus valedicens ; ſeipſum quoque ſecundum Dominicum præceptum ſibi abnegans, nudus & expeditus ſecutus eſt Chriſtum : moxque ad Fontem de Corrigia Xenodochium conſtruens , tam religioſo vitæ tramite ad ſupernam patriam currere cœpit , ut calceamentis quidem nullis , veſtimentis tantum laneis uſus ſit . Idem & poſt quindecim annos rurſus huc veniens , quaſi adeptæ ſalutis rependio , B. Benedicto perpetuo ſe tradidit ſervum , veridicoque ore ſuperius dicta multotiens fatebatur .

Quadam die , occulto Dei judicio , Capuana civitas igni tradita eſt , ex toto itaque civitate conſumpta , S. Benedicti monaſterio ignis undique minabatur . Fratres autem humanis rebus diffidentes , & in ſolo Dei adjutorio ſperantes, corporale Calicis ſumentes , extra monaſterii murum in medio ignis poſuerunt . Mirum in modum reverſus ignis ultra propius accedere non audebat : civibus etiam omnibus quædam manus a monaſterio ignem propellens viſa eſt : corporale vero prorſus ab ignis injuria illæſum manſit ; poſtque in cauſſa teſtimonii ejus in medio foramen parvum factum eſt.

Quidam claudus de agro Turonenſi orationis gratia montem ſtatuerat adire Garganum , cumque Aquinatem veniſſet ad urbem , intempeſtæ noctis ſilentio Beatiſſimus Pater Benedictus apparuit , dicens : Surge velociter , & caſtrum pete Caſinum , ibique ante corporis mei præſentiam ſanitatem ſine dubio recipies . Tunc claudus : Quis es tu qui tanta taliaque nobis promittis? Et Legiſlator ad hæc : Omni dubitatione ſepoſita , noveris me eſſe Patrem Benedictum Caſinenſis cœnobii fundatorem . Et his dictis diſparuit. Claudus ve-

ro confeſtim exurgens, rem geſtam ſociis per ordinem pandit. Illi vero viſioni fidem derogantes, ut diverſi diverſa ſenſere. Alii namque dicebant fallacibus ſomniis credere nullum debere: nam multos errare fecere ſomnia. Nonnulli autem, quorum fides ſanior ac devotior erat, cenſebant nequaquam id eſſe agendum, ſed a Benedicto Patre Sanctiſſimo promiſſum beneficium expetendum. Tunc claudus exurgens ad montem, celeri gradu niſuque, quo poterat, aſcendit Caſinum: cumque in eccleſiam Benedicti Patris corpore & nomine conſecratam, ingreſſus fuiſſet, & ante columnam argenteam, in qua cereus magnus ponitur, perveniſſet; Benedicti confeſtim ſuffragantibus meritis, cœpit in priſtinum claudus reſtitui gradum. Tunc Andreas Manſionarius, qui eo die eccleſiæ curam gerebat, claudum vociferantem audiens, ad eum celeri curſu pervenit: videnſque callos, qui in membrorum contractione exorti fuerant, diſruptos, & ſanguinem ex conjunctione profluentem, ad Fratres, ut rei geſtæ ordinem promeret, concito gradu perrexit. Eccleſiam vero claudus egrediens, inſciis Fratribus concito gradu ad ſocios, qui erant apud civitatem S. Germani, lætiſſimus rediit. Illi autem tanta perſpicientes mirabilia, Gerardum Abbatem adeunt & rem geſtam per ordinem pandunt. Venerabilis autem Abbas ob ejus ſanitatem lætiſſimus redditus, omnipotenti Deo gratias retulit, eumque confeſtim Caſinum ad Patris Benedicti corpus remiſit. Quanta autem mentis lætitia, quantaque tunc exultatio fuerit, quia adhuc omnes, qui viderunt, ſuperſunt, omitto referre. Poſt hæc vero quidam Senatorum ab urbe Roma egredientes, ad montem pervenerunt Caſinum, videnteſque eumdem claudum, quem prius ante Lateranenſe palatium jacere cognoverant, inquiſiere, qualiter quove modo ſanatus fuiſſet. Qui dum ſeriatim ſuam erectionem retuliſſet, ejus dictis minime Senatores fidem accommodantes, tegmine ejus artus nudantes, & callos in fruſta diviſos videntes, omnipotenti Deo, & Pa-

& Patri Benedicto laudes retulere quam maximas : Ad hujus vero perpetuæ rei indicium claudi gambuttæ ante fores eccleſiæ ſuſpenſæ permanent.

Arderardus hujus loci Oſtiarius, dum noctis medio per plana, quæ Caſinenſi monti ſubiacent, iter ageret; oculos ad ſanctiſſimi Patris cœnobium vertens, vidit ſuper eumdem locum ad inſtar ſolaris ſplendoris aſcendiſſe maximam lucem, quæ prius eccleſiam, poſtmodum vero totum monaſterium operiens, uſque ad dimidium fere horæ ſpatium manſit: ac ſic demum lux, quæ ante oculos ejus apparuerat, ſubtracta eſt.

In Salernitana civitate monaſterium eſt Benedicti Patris nomini conſecratum, & Caſinenſi cœnobio ab ipſo ſuæ fundationis exordio ſubditum: ex hujus autem monaſterii familia vorax hominum lupus parvulum puerulum clandeſtinus impetiit, arripuit, & abiit: poſt quem transfixa dolore mater inclamans, ait: Adjuro te beſtia per B. Benedictum, cujus ſervus eſt, ne filium meum ulterius feras, ſed eum ſub celeritate dimittas. Quo lupus audito hunc quidem, quem ferebat, aperto protinus ore depoſuit; in alium vero puerum repentinus inſiluit, eumque ſubito deſecans truncum cadaveris ſprevit, præciſumque caput mordicus apprehenſum in ſuas latebras aſportavit.

In civitate Campaniæ, quæ dicitur Fruſinone, B. Benedicti eſt conſtructa baſilica, ubi nomen ejus quotidie renovatum accipit incrementum. Quodam namque tempore ſupradicta eccleſia, ita divino judicio igni tradita eſt, ut præter muros flammæ nihil reſiduum fuerit. Quidam igitur Clericus, cum reſtaurationis gratia, in ejuſdem eccleſiæ eminentiorem locum aſcendiſſet, pede lapſus in ima cecidit, moxque omnium membrorum amiſſis officiis, defuncti ſpecies, præterquod in pectore ſpiritus palpitabat, omnino videbatur. Triduo enim ſic jacens, continuo moriturus a parentibus cuſtodiebatur. Cum ecce ſubito incolumis ſurgens,

mi-

mirantibus qui aderant, B. Benedicti atque illius ſororis Scholaſticæ, cujus eo die feſtum celebrabatur, ſe precibus aſſeruit fuiſſe ſalvatum.

Alio quoque tempore quidam jam dictæ eccleſiæ presbyter, cum in arce (turrim aſcendiſſet) quæ vulgo Campanarium dicitur, ex eodem ſigna dependentia ut reaptaret, incaute ſtans, ad terram ruit: & cum nec ſibi, nec cuiquam ſpes ſalutis ulla remanſiſſet, B. Benedicti meritis adjutus, ſaniorem ſe tunc invenit, quam cum aſcenderat. Hoc quædam mulier in eadem civitate poſita cum audiſſet, quæ longæ infirmitatis injuria greſſus officio ita privata erat, ut ad nulla corporis neceſſaria moveri prævaleret, ejuſdem presbyteri monitis perſuaſa, & omnium priorum actuum emendationem pollicita, B. Benedicti, & ejuſdem ſororis implorare cœpit auxilium. In ipſis itaque Calendis Septembris reſtituta eſt ſanitati, & ad eccleſiam B. Scholaſticæ in radice montis Caſini poſitam, ſatis devota perrexit, & in ſuæ devotionis ſinum eccleſiæ parietes argenteo filo circumdedit, & ejuſdem Virginis feſtum annuatim ibidem ſe celebraturam ſpopondit. Anno autem Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo triceſimo quarto actum eſt, ut ſupra.

Quidam miles in Apulia in quodam conflictu, a quodam iniquiſſimo captus, cateniſque devinctus, in foveam demerſus eſt. Cumque dies plurimos eodem nervo detineretur aſtrictus, & die noctuque ſanctiſſimi Patris Benedicti auxilium anxie flagitaret; quadam nocte ei apparuit, dicens: Dormis, an vigilas? Et ille: Ut cernis, Domine, plus in meæ mentis arcano de morte, quam de omni quiete pertracto. Sed tu, quis es, qui ad me venire dignatus es, notum ut facias prona mente depoſco. Et Sanctus: Ego ſum Frater Benedictus, quem in tuo adjutorio venire rogaſti. Nunc vero ſurgo celerius: catenas vero cum quibus ligatus es, quoniam propter itineris longitudinem ad corpus meum in Caſino ferre minime vales, ad ſepulcrum Fratris

Otto-

Ottonis incluſi, qui meam Regulam optime conſervavit, ſuſpende: & ob tuam liberationem ad laudes Deo reddendas ire ne tardes Caſinum. Hæc cum dixiſſet, continuo miles ſurgens, invocato Redemptoris noſtri B. Benedicti nomine, confeſtim catenæ, quæ in pedibus ejus erant, ſolutæ ſunt, & continuo ſurgens, quæ ſibi injuncta fuerant, omni inſtantia implere curavit: demum vero Caſinum veniens, Deo Patrique Benedicto laudes quam maximas retulit.

Cum ad hujus monaſterii renovationem plurimi cujuſque generis homines Deſiderii Abbatis ſtudio congregati fuiſſent, contigit quemdam Saracenum inter reliquos fuiſſe conductum. Huic auditus etiam Chriſtiani nominis onerofus videbatur. Poſt aliquantum vero temporis, eo quod aquam ſeu lapides in elevandis fabricis vexerat, ægritudine correptus ad extremum perductus eſt. Tunc Stephanus Clericus ad eum viſitationis gratia perrexit, eique ut infidelitatis abjecto errore in Chriſtum crederet, ſuadere cœpit. Qui cum ſe in Chriſtum credere ſpopondiſſet, ſi pro certo ſe in hoc ſalvandum ſcire potuiſſet; intulit Stephanus: Indubitanter, Frater, & abſque ſcrupulo credendum eſt omni humano generi in ſola Chriſti fide ſalutem eſſe poſitam, & ſine eo prorſus nullam reperiri ſalutis viam. Tunc annuente ipſo baptizatus eſt, & ſtatim clamare cœpit: Verum eſt, Stephane, quod dixiſti: Sanctum ecce video Benedictum, qui mihi ad Chriſtum, cui credidit, factus eſt prævius. Et his dictis, ab hac luce ſubtractus eſt.

Hujus ergo, Fratres cariſſimi, inventionem omni cum gaudio celebremus, quem viventes in corpore Patronum, & recedentes a corpore tutorem, ac defenſorem animarum noſtrarum a Domino noſtro Jeſu Chriſto accipere mereamur: cui gloria, laus, honor, & poteſtas, & imperium in ſecula ſeculorum.

Digitized by Google

Series Carminum.

Verſus Marci, Monachi Caſinenſis.
Verſus Pauli Diaconi, & Monachi Caſinenſis.
Verſus Bertharii Martyris, & Abbatis Caſinenſis.
Verſus Adhelmi Abbatis, & Epiſcopi Schireburnenſis.
Hymnus Pauli Diaconi, & Monachi Caſinenſis.
Hymni Bertharii Martyris, & Abbatis Caſinenſis.
Hymnus alius.
Hymnus Alphani ex Monacho Caſinenſi Archiep. Salern.
Hymnus Petri Mauritii, Abbatis Cluniacenſis.
Hymni ex Breviario MS. S. Zenonis Veronæ.
Hymni ex Breviario MS. S. Georgii Major. Venetiar.
Hymni ex Breviario impreſſo Venet. an. 1525.
Sequentia ex antiquis Miſſalibus.
Odæ Gr. Lat. ex magnis Græcorum Menæis.

Series Sermonum.

Homilia Pauli Diaconi, & Monachi Caſinenſis.
Sermo Odonis Abbatis Cluniacenſis, atque Floriacenſis.
Sermo Aymonii, Monachi Floriacenſis.
Sermo Goffridi, Vindocinenſis Abbatis.
Sermo Petri Damiani.
Homilia Petri Damiani.
Sermo Bernardi, Claravallenſis Abbatis.
Sermones quatuor Guerrici, Igniacenſis Abbatis.
Sermo Petri Diaconi, & Monachi Caſinenſis.

Digitized by Google

VARIORUM NOTÆ IN VITAM S. P. BENEDICTI

Contractæ & ad examen revocatæ.

In Titulum & Prologum.

VIta & miracula.) Paſſim monent Noſtri ad commendationem ſanctiſſimi Patriarchæ quam maxime facere, quod cum Gregorius M. in libris Dialogorum virtutes ſeu miracula Sanctorum Italiæ deſcribenda ſuſceperit, nullius tamen vitam integram accurate & ex ordine refert, niſi ſolius Benedicti: & qui in aliis laudandis unum aut alterum capitulum inſumere ſolet, Benedicti rebus commemorandis totius libri ſecundi capita octo & triginta impendit. Neque hac diligentia contentus, eum iterum data occaſione laudat in libri quarti capitibus ſeptimo & octavo. Ut autem intelligant omnes, quo animo in Benedictum affectus ſit, vitam ejus a principio ad exitum perſequitur, ab ortu ad obitum: cujus ſingulas circumſtantias ſtudioſe exponit. Denique oratorio more virum ſanctum comparat cum veteris Teſtamenti magnis viris: & qui in aliis uno fere teſte contentus eſt, in Benedicti factis probandis teſtes adhibet quatuor ejus diſcipulos, & ex nomine deſignat. Id inquam paſſim monent Noſtri, atque ii præſertim qui de Benedictino Gregorii M. inſtituto ſcripſerunt, atque inter ceteros pluribus locis Mabillonius, & præſertim in ea Diſſertatione, quam de illo argumento ad finem tomi primi Annalium Benedictinorum appoſuit.

Varior. Notæ

Quod appellatur Arcis.) Marcus poeta in carmine ſuperius allato.

Hunc plebs ſtulta locum quondam vocitaverat Arcem,
Marmoreiſque ſacrum juſſerat eſſe diis.

Campaniæ.) Campaniæ adſcribebatur caſtrum Caſinum in ea ſexdecim Italiæ provinciarum diviſione, quæ Gregorii M. ætate vigebat.

Fuit.) Fuit utique Benedictus iis temporibus, quibus Chriſtiana Religio & in occidentali eccleſia ob barbararum nationum irruptionem, & in orientali ob hæreſes peſſum ire videbatur. Unde Baron. ad an. Chr. 494. „ Quod admiratione dignum eſt, ſane quidem in S. Benedicti vocatione ſumma Dei in conſulendo ſuæ eccleſiæ innotuit providentia. Etenim eo tempore, quo (ut diximus) univerſa Italia, Gallia, Hiſpania atque Africa a Gothis, & Wandalis hæreticis Arianis poſſidebantur, orienſque pene totus eſſet infectus hæreſibus: in tam tetræ noctis obſcuritate, denſaque caligine, ejuſmodi claritudo lucis effulſit, qua univerſus Catholicus orbis illuſtraretur. Quantus autem ſplendor ex viro Dei Benedicto ad eccleſiam illuſtrandam divinitus emicuerit, inferius ſuis locis ordine temporis enarrabitur „. Annum CCCCLXXX. S. Benedicti natalem eſſe, non quidem veterum auctoritas, ſed recentiorum dumtaxat ſcriptorum conſenſus probare videtur; quem calculum certioris defectu cum aliis ſequitur Mabillonius, monens in Annalibus 1. p. 3. illius auctores habendos eſſe Caſinates, & Sublacenſes noſtros, ejuſdemque approbatorem Ambroſium Camaldulenſem monachum, qui cum Caſinenſe Leonis Marſicani Chronicon rogatu noſtrorum Caſinatum expoliret, vulgatam S. Benedicti chronologiam prætexuit.

Gratia Benedictus & nomine.) De ſuavi S. Benedicti nomine extat Hæfteni Prolegom. XVI. Hujus vocabuli excellentiam commendant plerique omnes ſcriptores ſermonibus ſuperius

perius deſcriptis, quibus addimus S. Adhelmum orientalium Saxonum epiſcopum lib. de laud. Virgin cap. 15. ſic loquentem. „ Nec prætereundum arbitror beatæ memoriæ Pa„ trem Benedictum, quem ab ipſæ infantiæ cunabulis ita „ fortunatum vocabuli præſagium poſcebat, ut penitus ali„ ter in propoſito divinæ religionis vivere nequiret, quam „ propriæ appellationis dignitas, & cæleſtis εὐλογίας præro„ gativa permitteret.

Qui liberiori genere.) De genere S. Benedicti ſolemnem texit diſputationem Arnoldus Wion in Tractatu, quem inſcripſit, De antiquiſſima, & illuſtriſſima Familia Romana Anicia, Proba, Olybria, Perleonia, Frangipania, Habsburgia, Auſtria. Aniciæ familiæ ſanctiſſimum Patriarcham aſſerere conatur, indeque colligit illum imperatori Juſtiniano ſeniori, Boethio, Tertullo, Æquitio, Mauro, & Placido proxima conſanguinitate conjunctum fuiſſe, & Auſtriacos monarchas, licet longius, in eadem tamen linea, tetigiſſe. Tractatum hujuſmodi Philippo II. Hiſpaniarum regi nuncupavit, eaque confidentia rem demonſtraſſe ſibi viſus eſt, ut in §. 1. hæc ejus ſint verba. „ Hæc, ut a nobis „ deducetur, ſicut multis nova & inaudita, quibuſdam „ fortaſſis etiam videbitur & incredibilis, eo quod S. P. N. „ Benedictum videlicet, ac principes Auſtriacos, ut in Epi„ ſtola dictum, ex eadem eſſe familia propagatos aſſerimus, „ & quos progenitores ipſe habuerit declarantes, ab iiſdem „ etiam, ſuccedente tempore, familiam Auſtriacam manaſ„ ſe commonſtramus. Speramus tamen fore, quod cum „ propoſiti noſtri capaces extiterint, admiratione, quæ ex „ ignorantia procedere ſolet, rejecta, & omnis dubietatis „ ſcrupulo depulſo, ipſi nobiſcum ſentire debeant „. Cum Arnoldo Wion ſenſere Yepes, Milletius, & alii plures; at ei doctiores plerique acerrime contradixerunt. Genealogiam illam ſe non adſtruere, ſed ex Wionio probabiliter tantum commemorare profitetur Hæſtenus Proleg. XIV. quod

 S. Hila-

Digitized by Google

S. Hilarii Arelatenſis ſermone de S. Honorato aureis hiſce verbis concludit. „ Faſtigium eſt nobilitatis inter Dei filios „ computari, nec addere quidquam ad dignitatem terrenæ „ originis decus niſi contemptu ſuo poteſt. Nemo eſt in „ cæleſtibus glorioſior, quam qui repudiato patrum ſtemma- „ te ſola elegit Chriſti paternitate cenſeri &c. In eadem ſibi hærere aquam ingenue fatetur Angelus de Nuce, nec quicquam habere quod audacter pronuntiet; minime tamen ambigens ex nobili gente, & familia ortum Benedictum, ex illis Gregorii verbis *liberiori genere*, quæ Florus vertit *nobiliori* in ſuo Martyrologio. „ Tranſitus S. Benedicti Abbatis, „ qui ſicut Papa Gregorius dicit, nobiliori genere ex Pro- „ vincia Nurſiæ ortus &c. Mabillonius in Append. altera T. I. Annal. Benedict. multa ſatis ſolida obſervat de genere S. Benedicti. Ac primo quidem loco, vetuſtiorum Caſinatum modeſtiam in aſſerenda D. Benedicti nobilitate notandam monet; nam Marcus poeta neque ſtirpem ejus, aut parentum nomina expreſſit. Gregorius Magnus ſat habuit dicere eum *liberiori genere* in provincia Nurſiæ ortum fuiſſe. Idem ſilentium tenuit Paulus Uvarnefridi in verſibus, quibus laudes S. Benedicti celebravit. Bertharius in carmine de eodem id tantum prædicat, quod *Nurſiæ claros habuit parentes*. Leo Marſicanus in Chronico ne verbum quidem de S. Benedicti proſapia habet. Dein ad exteros tranſiens, Flori Diaconi Lugdunenſis locum modo laudatum ex ejus Martyrologio refert; cui ſequentem jungit Adrevaldi Floriacenſis monachi in libro de miraculis ipſius ſancti Benedicti: „ Quantæ, digni- „ tatis parentibus progenitus fuerit, teſtantur ruinæ palatii „ eorum, cum ædicula prope mœnia urbis Nurſiæ ſita. „ Tantæ quippe magnitudinis perplexi operis ex fundamen- „ tis conjicitur, ut quælibet palatia potentiſſimorum ſupera- „ verit regum, nec modicis queat reparari impenſis „. Tam Florus, quam Adrevaldus ſæculo nono ſcripſerunt. Ad S Benedicti parentes quod attinet, tradit apud nullum, eo-

rum

rum nomina indicata inveniri ante Petrum Diaconum, ac monachum Caſinenſem, qui procedente ſæculo duodecimo ſcribebat. Ille in libro de viris Illuſtribus monaſterii ſui cap. 1. Benedictum provinciæ Nurſiæ oriundum dicit *ex patre Euproprio nomine, matre Abundantia, avo Juſtiniano*, quæ forte ex monaſterii ſui monumentis, ac traditione accepta reſcierat Petrus. Poſt Petrum, qui hac de re egerit, primus occurrit Trithemius, apud quem S. Benedicti pater Probus (in quibuſdam editis Providus) Juſtiniani Imperatoris nepos, Comes Nurſenſis; mater vero Abundantia dicta Marchioniſſa Monteferratenſis, fuiſſe dicitur. Hæc nomenclatura inferius in Nota, ubi de Parentibus S. Benedicti, caſtigabitur. Tota ſancti Patris genealogia duobus iſtis fundamentis nititur, ſcilicet quod ejus avus dictus ſit Juſtinianus Eupropii parens, ut Petrus Diaconus tradit: & quod Juſtinianus iſte patrem habuerit Probum, Probæ Falconiæ filium, quod Uvion de ſuo videtur addidiſſe. Primum illud, ſcilicet quod Juſtinianus S. Benedicti avus fuerit, Eupropii vero parens, Petrus ex domeſtica, ut veriſimile eſt, traditione accepit: at ſecundum, nempe Juſtiniani illius patrem fuiſſe Probum Probæ Falconiæ filium, idoneis probari poſſe argumentis optaremus. Sane Probæ filium fuiſſe Anicium Probum conſtat ex vetuſtis monumentis, & inſcriptionibus a Baronio anno 895 relatis: an vero Probus iſte Juſtinianum filium habuerit, qui cardo rei noſtræ eſt, necdum plane compertum. Hæc Mabillonius, cujus demum ſententia eſt, nobilitatem S. Benedicti minime in dubium revocandam, quod Gregorius M. eum *liberiori genere* ortum dixerit, ideſt *nobiliori*, uti Florus recte interpretatus eſt; quod Adrevaldi teſtimonium de paternarum ejus ædium veſtigiis luculentum ſit; quod Bertharius, qui & ipſe ſæculo nono floruit, eum *Nurſiæ claros habuiſſe parentes* diſerte ſcripſerit. Denique non tam Mabillonii, quam omnium ſententia eſt, Sanctum Benedictum plus honoris

gene-

generi ſuo attuliſſe, quam ipſe ab illo acceperit.

Ex provincia Nurſiæ.) In verſibus Pauli Diaconi ſuperius allatis.

Nurſia plaude ſatis tanto ſublimis Alumno,
Aſtra ferens mundo, Nurſia plaude ſatis.

Item in aliis Gauzberti apud Aimonium in ſermone de S. Benedicto.

Cujus ab exortu decoratur Nurſia mater,
Miratur puerum quem pia Roma nutrix.

Quod tamen a Gregorio non *in provincia Nurſiæ*, ſed *ex provincia Nurſiæ* exortus dicatur Benedictus, non deſunt qui cenſeant eum avitam quidem originem e Nurſino agro deduxiſſe, at Romanum ortu habendum eſſe; eoque magis quod Petrus Diaconus de viris Illuſtrib. Caſinenſ. cap 1. & Leo Oſtienſis in Chronico Benedictum *Nurſia provincia oriundum* aperte ſcribant. Verum perinde eſſe, aliquem *in provincia*, ſive *ex provincia* exortum dici, facile quivis latinitatis callens intelliget, quemadmodum & pro eodem paſſim ſumi *exortum* & *oriundum*; quam poſtremam vocem apud Oſtienſem minime referendam eſſe ad Romanam urbem, quæ ſanctiſſimi Patriarchæ patria fuerit, inde manifeſtum redditur quod ibi hæc ſtatim ſubnectantur, „ Romæ vero ad erudiendum liberalibus ſtudiis a parentibus traditus „. Non ita refragamur iis, qui putant patria quidem Nurſinum, at origine Romanum fuiſſe Benedictum, pro quo Wion in Martyrol. teſtimonia duorum Romanorum Pontificum, Victoris II. ſcilicet & Alexandri item II. laudat, qui in privilegiis ſuis Caſinenſi monaſterio conceſſis, eumdem Patrem civem Romanum appellant. Monachi Cæleſtini, ad quos modo pertinet eccleſia S. Benedicti in ipſa Nurſiæ urbe, in crypta ejuſdem inferiore in lucem editum fuiſſe ſanctum Patrem, ex pervulgata loci illius traditione perhibent. Nurſiam autem *provinciam* appellavit Gregorius, latius hoc nomine uſurpato pro qualibet regione ſeu agro, quam acce-

ce-

Digitized by Google

ceptionem Gregorio, aliiſque ejus ætatis ſcriptoribus familiarem multa ſunt, quæ conteſtantur. Nurſia annexa olim erat Valeriæ provinciæ, nunc vero Umbriæ.

Relicta domo.) Quamvis ſubſcribam Angelo de Nuce exiſtimanti minime hic accipiendum ſpecialiter S. Benedicti domicilium, ſed quamcumque domum, quaſcumque paternas res intelligi oportere, operæ tamen pretium eſt, quæ de Romano ejuſdem domicilio a Conſtantino Cajetano in Epiſtola de Collegio Gregoriano Domus S. Benedicti in Urbe differuntur, exſcribere, quæ ita ſe habent; quorum tamen fides eſto penes auctorem. „ In alma hac urbe, orbis regi„ na fulgentiſſima, ſanctiſſimi ipſius viri Patria, Auguſta „ Anica cunabula etiamnum venerabili pene confecta ſenio „ ſe conſpicienda præbent in ejuſdem nomine inſignita S. Be„ nedicti in Piſcinula tranſ-Tiberim eccleſia. Sed ea in vetu„ ſtis monumentis archivii Caſinenſis, cujus juris hæc eadem „ eccleſia jam tunc erat, dicitur S. Benedictus ſub monte Ly„ caonis; quandoquidem monticulo cuidam juncta, breviſſimo „ ſpatio diſtat ab ea inſula, quæ in mediis Tyberinis fluctibus „ aſſurgens, inſula Jovis, Lycaonia etiam appellatur. In hac „ trans-Tyberina regione, eo loco, Piſcina dicto, olim ſuper„ biſſima & marmorea aſſurgebant palatia Anicianæ familiæ, „ quorum magnificentiam effoſsa hoc ſæculo rudera paſſim „ demonſtrant. Quod confirmatur ex eo, quod contigua iis „ ſit domus S. Cæciliæ ex eadem familia oriundæ, quæ tri„ duanas a Domino popoſcit inducias, ut domum hanc „ ſuam eccleſiam conſecraret. Has majorum ſuorum ædes „ S. Benedictus origine Romanus, Romaniſque parentibus „ Nurſiæ dominis natus, literarum ſtudiis incumbens, inco„ lebat. Unde poſtea quædam earumdem ædium pars, ac „ ea forte (non præter rationem dixerim) quæ familiari„ ter ſancto Dei viro quotidie uſui erat, primis illis tempo„ ribus a piis ipſius alumnis in eccleſiam converſa, glorioſiſ„ ſimo ejus nomini conſecrata fuit. Et quæ hodie B. Vir-

„ ginis

„ ginis imago eleganter depicta a fidelibus in oratorio ipſi „ eccleſiæ contiguo religioſe colitur , ea eſſe circumfertur , „ quam adhuc puer idem Benedictus venerari conſueverat : „ unde ipſum oratorium hodieque S. Benedicti oratorium „ denominatur „ . Extat Tomo IV. Bullarii Diploma Gregorii XV. quo domus illa erigendo Collegio ſive Hoſpitio Benedictinorum eidem Conſtantino Cajetano adjudicatur . Iterum aio horum omnium fidem eſſe penes auctorem.

Rebuſque Patris .) Patris S. Benedicti nomen a Petro Diacono primum prolatum , quemadmodum & matris , & avi ſuperius adnotavi . Eam nomenclaturam , de qua parum admodum conſtat , ut pote veterum auctorum teſtimonio deſtituta , Trithemii verba itidem ſuperius laudata doctorum virorum ſibilis expoſuerunt . Ac primo quidem pater qui *Eupropius* ex Petro Diacono vocandus foret , *Providus* ſeu *Probus* (nam variat in Editis lectio) nuncupatur . Deinde *Juſtinianus* avus titulo *imperatoris* inſignitur , cujus tamen natales S. Benedicti natales præceſſerunt : præter quam quod Thrax & quidem infimæ conditionis fuit Juſtinianus auguſtus . Demum dum *Abundantiam* S. Benedicti matrem *Marchioniſſam Monteferratenſem* facit , ignorare viſus eſt , nomen Marchionis illis temporibus adhuc minime in uſu fuiſſe ; tum regionem illam Montisferrati nomen non obtinuiſſe ; nec eam quoque quæ nunc Montisferrati provincia ſive Marchia dicitur : cum conſtet multis poſt illa tempora ſæculis nomen illud arripuiſſe . Quæ omnia eruditis quibusve palam comperta Arnoldo Uvion anſam præbuerunt Trithemium merito refellendi: cui tamen ut gravium hujuſcemodi erratorum invidiam imminueret , condonandum ait tanto viro , quod longe remotus a monte Caſino , & auctoribus probatis deſtitutus , veritatem cognoſcere minime valuit ; forte librariorum incuria tam *Providi* quam *imperatoris* voces in Trithemii ſcripta irrepſiſſe . Idem Uvion cum Annalibus Nurſinis dominam Nurſiæ agnoſcit Abundantiam , non tamen

ex

ex Reguardatorum familia, ut illum ſenſiſſe exiſtimavit Mabillonius in laudata Appendice, nam Uvion ita inquit: „ Prænomen familiæ Divi Patris noſtri Benedicti fuit, Ani„ cius; cognomen, Probus; agnomen vero, Riguardatus, „ pater ejus Eupropius primus tuliſſe fertur, & ab eo „ poſtmodum Riguardatis familiæ Nurſinæ pro cognomine „ remanſit. „ Dein conjecturam ſuam profert, ita ſcilicet agnominatum fuiſſe Euproprium, quod illo tempore nulla Romæ honorabilior, nec illuſtrior, familia reperiretur Anicia. Infirma prorſus conjectura, nec enim eo tempore Italica vox *Riguardevole* in Latio obtinebat; & infirmior adhuc res ipſa, cui nimirum ſuffulciendæ nullus idoneus teſtis in medium profertur.

Scienter neſcius.) S. Thomas opuſculo 15. contra impugnantes religionem cap. 11. „ S. Benedictus non diſceſſit a „ ſtudio, quaſi ſcientiam horrens, aut ſtudium; ſed ſæcu„ larem vitam, & ſocietatem formidans „. S. Petrus Damiani opuſc. De ſancta ſimplicitate ſcientiæ inflanti anteponenda. „ B. Benedictus ad literarum ſtudia mittitur, ſed „ mox ad ſapientem Chriſti ſtultitiam revocatur: & quia „ ſcholam pia ruſticitate mutavit, hoc deſcriptum reliquit „ in capiſterio mulierculæ, quod de ſe mundi ſapientes ex„ primere nequeunt in menſa Geometricæ, vel Aſtronomi„ cæ diſciplinæ.

Quatuor diſcipulis illius referentibus agnovi, Conſtantino &c.) Merito a Noſtris ſugillatur Baronius, qui ad an. 581. ſcribit Valentinianum ſecundum abbatem numerandum poſt S. Benedictum, primum vero Lateranenſis cœnobii, deinde Valentiniano apud Lateranum ſucceſſiſſe Simplicium, tum Simplicio Honoratum. Verba ſiquidem Gregorii ſatis aperte in regimine Caſinenſis cœnobii B. Benedicto ſufficiunt Conſtantinum, & Conſtantino Simplicium: quibus conſonant alia Pauli Diaconi de geſtis Langobard. lib. 4. cap. 18. „ Poſt B. „ Benedictum Conſtantinus, poſt hunc Simplicius, poſt

B quem

Digitized by Google

Varior. Notæ

„ quem Vitalis , ad extremum Bonitus Congregationem „ ipſam rexit „ . Quæ ſeries Noſtris planiſſima eſt , & authentice probata , quam nimirum univerſæ Caſinates tabulæ conteſtantur , nam ut ait Angelus de Nuce , „ ſcimus „ Conſtantinum immediate ſucceſſiſſe ſancto Patri , eique „ poſt fata , appoſitum in ſepulcro , ubi hucuſque jacet . „ Scimus Simplicium ſucceſſiſſe Conſtantino , eique pariter „ adjacere „ . Æque compertum habemus Honoratum non Lateranenſi cœnobio poſt Valentinianum , ſed Sublacenſi cellæ , inqua prius converſatus fuerat S. Benedictus , præfuiſſe ; idque conſtat tum ex Gregorii verborum ſerie , tum ex tabulis Sublacenſibus. Minime prætereundum eſt , horum Dialogorum opificem , qui nomen ſuum paſſim interponit Gregorii , & ſe Romanum pontificem pluribus locis omnino indicat , inde aperte Gregorium M. comprobari , (quod procaciter nonnulli ſeu negant , ſeu in dubium revocant ,) quod ea quæ de S.Benedicto narrat , quatuor ejus diſcipulis referentibus agnoviſſe teſtetur ; nec enim Gregorius quidam Romanus pontifex , primis S. Benedicti diſcipulis ætate compar , alius a Gregorio M. poteſt produci.

In Caput Primum.

NUtrix .) *Cyrillæ* huic nomen fuiſſe diſcimus ex Petro Diac. de vir. Illuſtr.

Efide .) Vulgo *Afile* duobus circiter paſsuum millibus diſtat a Sublacu.

Capiſterium .) Cribrum tritico aliiſque ſeminibus repurgandis aptum.

Deſerti loci ſeceſſum petiit .) Anno ætatis 14. ut communis Noſtrorum ſententia eſt , cui dum refragatur Baronius ad an. 494. minime veriſimile reputans tam teneræ ætatis puerum adeo artum vitæ arripuiſſe inſtitutum , a quo potius

tius

tius per Romanum prudentem monachum revocandus fuiſſet, quam famulatu pollicito impellendus, ac proinde longiorem in Efide Benedicti, ejuſque nutricis commorationem fingit; in promptu eſt reponere, ſancti Spiritus aflatum intra ætatis cancellos minime contineri. Exempla illorum, qui licet puerulſi rigidiori vitæ ſe addixerunt, Lauretus, Hæſtenus, & alii ſuppeditant.

Cui Sublacus vocabulum eſt.) „ Apud aliquos reperio Su„ blaqueum, ſed Sublacus, vel Sublaceus retinendum a „ ſitu, nam ſub lacu poſitum eſt caſtrum Sublacus. Anio „ enim fluvius inter Symbruinos montes in Æquicolis ex„ currens, obſtructis a Nerone, vel a Claudio, anguſtis „ illorum montium faucibus ad mille circiter paſſus ſupra „ prædictum caſtrum, aquas in ſummo ſtagnare cœpit, & „ in lacum colligi, atque extendi, quæ poſtea ex præru„ ptis cataractis præcipites cum fragore ruebant. In eo la„ cu, cujus ſuperficies ſacellum S. Placidi, quod etiam„ num viſitur, æquabat, Placidus a Mauro aquarum vor„ ticibus ereptus eſt. Nunc vero diſruptis clauſtrorum obi„ cibus, reſides aquæ priſtinam libertatem adeptæ, inferius „ fluunt, fractitio illo lacu ceſſante, cujus foſſa tantum, „ & cavitas nunc apparet „. Hæc ex Angelo de Nuce. Ex Chronico Sublacenſi habemus fractitium illum lacum ceſſaſſe anno 1305. die 20. menſis Februarii, qua ad impediendam ſubitam aquarum eruptionem ingentibus quibuſdam ſaxis per quoſdam monachos maxima adhibita vi loco motis tota cataractarum moles cum immenſo fragore collapſa eſt. Eadem fere Mabillonius Annal. pag. 4.

Monachus quidam Romanus nomine.) Hujus S. Romani abbatis vitam a Gisleberto monacho duobus libris ſcriptam exhibent ex Bibliotheca Floriacenſi & MSS. Acta SS. Ord. S. Ben. tom. 1. ubi in Obſervationibus præviis admonemur, Antiſſiodorum Galliæ Celticæ urbem epiſcopalem ſub metropoli Senonenſi, Romanos duos inter cœlites colere,

epiſcopum unum, alterum abbatem, utrumque coætaneum: quos nonnulli recentiores diſtinctos perperam negant; præterea Romani abbatis licet obſcurior ſit apud priſcos ſcriptores memoria; in veteribus nihilominus membranis S. Remigii Senonenſis frequentem ejus eſſe mentionem.

Sanctæ converſationis habitum tradidit.) Ideſt ſanctum monachorum habitum, ut Græcus Interpres exponit. Inde merito deducimus ante S. Benedictum peculiarem extitiſſe monachorum amictum, quod nonnulli apud Beatum Rhenanum negant ad librum Tertulliani de Pallio, ubi eorum error his verbis refertur. „ Veterum monachorum veſtes, „ qualibus Benedictini utuntur, communes omnibus olim „ Chriſtianis ætate Divi Benedicti quidam fuiſſe putant „. Hoc argumentum fuſe pertractatum reperies apud Hæſtenum in Diſquiſitionibus. Hoc autem loco idem Hæſtenus tria circa Romani factum quæſita proponit, & ſolvit. Primo ſcilicet, cur Romanus S. Benedictum non deduxerit ad monaſterium, ſuumque abbatem, ut ab eo ſanctæ converſationis habitum peteret, & acciperet? Secundo, unde Romano in via conſtituto, nec futurorum præſcio monaſtica veſtis ad manus, quam S. Benedicto daret? Demum, quomodo id licuerit? Reſpondet ad primum, noluiſſe Romanum a perfectiori vivendi genere anachoretico ad imperfectum cœnobiticum avocare, quem a Spiritu Sancto præparatum, & velut alterum Baptiſtam illi noverat eſſe idoneum. Ad alterum, indutum forte fuiſſe duplici tunica Romanum, quarum alteram Benedicto conceſſerit; aut monaſterium repetiiſſe, unde ex communi veſtiario antiquum aliquod indumentum, aut uſibus ſuis aſſignatum acceperit, quo reverſus novum Chriſti tyronem induerit. Ad poſtremum, olim fortaſſe permiſſum fuiſſe monachis, ut de modicis utenſilibus ſuis, victu, & amictu, liceret eleemoſynam facere, & indigentibus ſubvenire. Quod ſpectat ad hoc poſtremum, quandoquidem conjecturis res agitur, Angelus de

Nuce

Nuce conjectari poſſe ait Romanum a Theodato abbate ſuo licentiam petiiſſe, & obtinuiſſe veſtem aliquam detritam pauperi, qualem ſe tunc agebat Benedictus, largiendi. Longe tamen probabilius videtur, Romanum, qui poſtea legitur clam abbate ſuo cibos Benedicto detuliſſe, deferendi eidem amictus licentiam ab ipſo abbate minime poſtulaſſe. Quo loco Romanus Benedicto obviam factus ſanctæ converſationis habitum ei tradidit, extructum deinceps fuiſſe ad tantæ rei memoriam ſacellum in honorem S. Crucis, quod Sublaco, ſive a S. Scholaſticæ, ut nunc vocatur, monaſterio ad ſacram Specum euntibus occurrit; juxtaque ejus ſacelli fores reperiri columnam lapideam ſtriatam, temporum injuria, & vetuſtate plurimum exeſam, teſtatur Hæſtenus ſibi commemoraſſe R. P. Hieronymum Coquelin, qui loca illa pridem inviſerat. Quam traditionem Angelus de Nuce ſale condiendam exiſtimat, eique veroſimilius videtur, columnam illic defixam fuiſſe a poſteris in rei ſignum, atque memoriam.

In arctiſſimo ſpecu ſe tradidit.) Sacram Specum, & monaſteriolum in ea extructum Abrahamus Bzovius his verbis deſcribit Annal. Tom. 17. „ Pars monachorum dies ac noctes „ gratiſſimas Deo laudes canit in ipſo monaſterio Sublacenſi: „ pars in altero quod Specus vocitant, ad quod mille paſſibus aſcenditur, via difficili, & ferro facta, adeoque „ præcipiti, ut abſque horrore adiri nequeat, hinc profundiſſima in Anienem deſcendente rupe, inde altiſſimo imminente ſaxo; nec acceſſibilis ullo pacto, niſi modo ad „ dexteram, modo ad ſiniſtram varios agens flexus in anguis morem ab imo uſque ad ſummum ducta, & pleriſque in locis muro defenſa fuiſſet. Monaſterium ſub altiſſimo ſaxo ædificatum eſt, ita ut magna pars ejus „ vicem tecti gerat, partem exterius conſtruxere: ædes ipſa „ ſacra, & officinæ monachorum multæ intra ſaxum patent. Sicut in altis ſcopulis nidos videmus hirundinum in

„ crepi-

„ crepidine lapidum ; ita eſt hoc monaſterium cernere affi„ xum ſublimi ſaxo , ex quo ſæpe fruſta concidunt , quæ „ aut monachos perimunt, aut ædificiorum ruinam faciunt . „ Multa hic ſancti viri Benedicti miracula referuntur , & „ tintinnabulum oſtenditur , quo diabolus illuſiſſe bonis ope„ ribus conatus eſt . Monachi circiter viginti hic degebant , „ numquam carnes edebant , vinum multa domabant aqua , „ jejunia longa producebant . Luxuria erat duo ova come„ diſſe , oleribus & pane veſcebantur , vel leguminibus . „ His epulis menſam onerabant , breviſſimum tempus cibo „ dabant , nec multo majus ſomno : reliquum in oratione „ conſumebant , rem divinam peragebant ſumma devotio„ ne , pſallebant Deo confidenter . Major pars ſenum erat , „ quorum plerique inoffenſa valetudine ad octuageſimum an„ num pervenerant , vultu alacres , & alloquio venerabiles , „ quorum unica cura fuit , diſſolvi tandem , & eſſe cum „ Chriſto . Huc cum Pius Papa II. perveniſſet , omnia loca „ exoſculatus eſt , quæ fama vulgaret S. Benedicti corpus te„ tigiſſe , ſpiritualeſque gratias , quas monachi petivere , „ elargitus eſt „ . Aliam deſcriptionem huic conformem adfert Simon Milletius . Utramque Hæſtenus exſcripſit . In hac ſacra Specu ut Mabillonii verba uſurpem, Benedictus Ordinem ſuum , obſtetricante gratia , parturiit ; hic cunabula gentis noſtræ ; hæc petra unde exciſi ſumus .

Sub Theodati Patris Regula .) Quænam eſſet hæc Regula fuſius diſſerit Hæſtenus in Diſquiſitionibus , ſtatuens eam nec Auguſtini , nec Baſilii fuiſſe , ſed peculiarem , quam Theodatus pro illius temporis more conventui ſuo præſcripſerit . Contra Angelus de Nuce *Theodati Regulam* nil aliud intelligit , quam Theodatum ipſum , ſeu Theodati regimen , directionem , obedientiam , ſub qua Romanus vivebat , non vero ſcriptum aliquem canonem . Quam germanam eſſe Gregorianæ phraſis intelligentiam , adductis ex eodem Gregorio teſtimoniis , probat in Chron. Caſin. lib 3. ad cap. 29. Fateor

qui-

quidem a prima monachiſmi origine ut in oriente, ſic in occidente, paſſim pro Regula voluntatem Abbatis fuiſſe, ſæpe modum vivendi majorum uſu, & traditione confirmatum; at cum certo conſtet ſcriptas etiam leges aliquibus impoſitas tunc fuiſſe, non video, cur Theodati Regula de canone aliquo ſcripto minime accipi valeat.

Panem ferebat.) Goffridus in ſermone ſuperius recitato. „ Nulla ratione ſilendum eſt, ſed veritate dicendum, quomodo Romano monacho tunc licebat, ſine ſui abbatis licentia, quodlibet opus bonum patrare, cum modo non liceat. Hoc utique ſatis agnoſcitur, ſi tempus, & temporis ordo diligenter penſatur . . . . . Sunt etenim quædam bona, quæ prius quidem licere poſſunt, ſed illicita poſtea fiunt. Nam monachis illius temporis illa humanitatis opera licebant, quia ſe non ab illis operibus abſtinere promiſerant. Modernis vero ſic illa licere minime poſſunt, quia nec illa nec alia bona opera facere ſine ſpiritualis patris voluntate devoverunt, & fide ſuæ promiſſionis firmaverunt.

Tintinnabulum fregit.) Inter cemelia Sublacenſis cœnobii reperitur fractum hoc tintinnabulum. Ejus ferreum malleolum duodecimo ſæculo, ex quo inter ultimas vepres ſub terra ſepultus jacuerat, inveniſſe tandem ſe putat quidam ex noſtris fratribus commiſſis, dum ſub Romani rupe terram altius foderet, & ſane tintinnabulo fracto ibidem aſſervato concinne quadrat. Ita Angelus de Nuce.

Cuidam Presbytero.) Non omnino probatur Angelo de Nuce Sublacenſium monachorum traditio, quibus presbyter hic exiſtimatur parochus fuiſſe cujuſdam pagi, quatuor circiter milliaribus Sublaco diſtantis, quem Montem præclarum (Montem Porcarium) vocant nam ait ille ſenſu utique ironico, „ Præclara certe traditio, quæ inter tot ſæculornm tenebras effulſit.

Quia die eodem Paſchalis ſolempnitas eſſet, ignorabat.) Ne mirum

mirum videatur S. Benedictum paſchalis ſolemnitatis ; ac proinde quadrageſimæ tempus ignoraſſe , faciunt quæ adnotavit Hæſtenus , ſcilicet , quod longe ab hominibus eſſet poſitus; quod divinis rebus eſſet intentus; quod vita ejus omni tempore quadrageſimæ obſervationem habuerit ; demum quod ea tempeſtate non tam certo , atque nunc conſtaret , quo die ſanctum paſcha eſſet celebrandum.

In Caput Secundum.

F*Eminam aliquando viderat* .) Quod hanc gibboſam fuiſſe aſſerit S. Vincentius Ferrerius ſerm. de S. Benedicto , dum ait : „ Cœpit cogitare de quadam muliere gibboſa , „ quam viderat in civitate , & in tantum tentatio augmen„ tabatur , quod volebat dimittere eremum , & redire ad „ mundum , ad inquirendam dictam gibboſam ; quid feciſ„ ſet , ſi fuiſſet pulchra ? „ id inquam cum unde hauſerit , incompertum ſit , tanquam lepide a ſancto viro excogitatum Noſtri accipiunt .

Nudum ſe in illis ſpinarum aculeis , & urticarum incendiis projecit .) Diſplicet cuidam heterodoxo nudum ſeſe in vepribus volutaſſe Benedictum , quem proinde lupercatus arguit ; at multo magis diſplicet aliis ejuſdem furfuris exhibitum a ſanctiſſimo juvene corpus ſæviente carnis tentatione affligendi præclarum exemplum . Horum impudentiſſimam audaciam ſanctorum Patrum , & ſæculorum exemplo refellit Hæſtenus . Iiſdem etiam diſplicebit Sublacenſium noſtrorum traditio , qua fertur S. Franciſcum S. Benedicti Specum inviſentem , vepretum illud cum attrectaſſet atque exoſculatus fuiſſet , demum ſigno crucis in roſarium pulcherrimum divina virtute vertiſſe . Cui traditioni teſtimonium perhibet Lucas Uvadingus tom. 1. Annal. ſui Ordinis anno Chr. 1222. ubi poſt narratum miraculum hæc ſubjungit . „ Quo factum

„ eſt ,

„ eſt, ut deinceps ille locus in majori haberetur reverentia; „ & roſetum utriuſque Patriarchæ religione ſacratum, miræ „ virtutis roſas producat; quæ multam ubique infirmitatum „ medelam attulerunt „. Alii non miraculo, ſed beati Franciſci manuum inſitione ſpinas in roſas verſas fuiſſe ſcribunt.

In Caput Tertium.

NOn *longe autem Monaſterium fuit*.) Specimen hujus loci, quem Vicovarum (vicum Varronis plerique interpretantur) fuiſſe tradunt, in finiſtra Anienis ripa monti impoſitum, Sublacum inter atque Tibur, ubi hactenus Fratrum Minorum conventus viſitur ſub titulo SS. Coſmæ & Damiani, & intra montem excavatæ ſpeluncæ, quas priſcorum illorum monachorum latibula fuiſſe aſſerunt, & in quibus una eſt, quam S. Benedictus inhabitaſſe fertur, modo in oratorium converſa; hujus inquam loci ſpecimen in ſuo Diario Italico exhibuit Bernardus Montſauconius, & ex eo Mabillonius in Annalibus.

Aſſenſum dedit.) Quamvis narratio de Benedicto in abbatem poſtulato cum illa de tentatione ſuperata a Gregorio connectatur, non inde arguere neceſſe eſt anno ætatis decimo ſeptimo, quo Benedictus de tentatione victoriam retulit, eum monaſterii etiam illius regimen recepiſſe; nam Gregorium in Dialogorum libris quandoque a chronologiæ ratione deflexiſſe nemo inficias ire poteſt. Cum itaque Noſtris parum veroſimile videatur, ejus ætatis adoleſcentem ſibi a monachis in abbatem expetitum fuiſſe, id anno ætatis vigeſimo quinto contigiſſe nonnulli probabilius exiſtimant, alii vero trigeſimo.

Cum vas vitreum recumbenti Patri ex more monaſterii ad benedicendum fuiſſet oblatum.) Duplicem benedictionem hinc

C no-

Digitized by Google

notant Noſtri, alteram generalem, antequam recumberent, alteram ſpecialem, ad panem, & ad primum potum.

Ite, & juxta veſtros mores patrem vobis quærite.) „ Porro „ B. Benedictum inſtar magni cujuſdam Pontificis poſſumus „ ad exemplum imitationis inducere, qui videlicet commiſ„ ſum non ambigitur regimen dimiſiſſe „. S. Petr. Damian. Opuſc. 19. cap. 11.

Duodecim Monaſteria.) Quorum hos refert titulos Arnoldus Wion in Prologo Ligni Vitæ. „ Sancta Maria in Pri„ merana: hodie, Sanctus Laurentius. Vita æterna. San„ ctus Michael Archangelus. Sanctus Archangelus. S. Ange„ lus. S. Angelus de Trevi. S. Joannes Baptiſta. S. Clemens „ Papa. S. Blaſius: hodie, S. Romanus. S. Donatus. San„ cti Coſmas, & Damianus: hodie, S Scholaſtica. S. Hie„ ronymus „. Alii alio modo enumerant. Angeli de Nuce cum Mabillonio in Annalibus, & Actis ſententiam præferimus. „ Sunt autem, (inquit) Sacra Specus. Sancti Coſ„ mas & Damianus, nunc S. Scholaſtica. S. Angelus poſt „ lacum. S. Maria, nunc S. Laurentius. S. Hieronymus. „ S. Johannes Baptiſta, nunc S. Johannes ab aquis. S. Cle„ mens citra lacum. S. Blaſius, hodie S. Romanus. S. Mi„ chael Archangelus ſub ſacra Specu. S. Victorinus ad radi„ ces montis Porcarii. S. Andreas. Vita æterna, nunc Val„ lis ſancta „. Ex quibus duo priora hactenus ſuperſtant, reliqua in parietinas, aut certe in ſimplicia oratoria, ſeu ſacella redacta conſpiciuntur.

Statutis Patribus.) Abbatibus videlicet, quos patrum nomine Gregorius pariter deſignat cap. 4. & cap. 22. quibus tamen pro dignitate ſua præerat Benedictus, utpote inſtitutor & magiſter.

Duodenos Monachos deputavit.) De duodenario hoc numero fuſius Hæftenus in Diſquiſitionibus.

Paucos vero ſecum retinuit.) Ex his verbis colligi poteſt, ſacram Specum minime inter duodecim monaſteria, quorum

cen-

cenſus ſuperius eſt initus, eſſe enumerandam; nam pauci, quos S. Pater in ſacra Specu, ubi ante eorumdem monaſteriorum ſubſtructionem degebat, ſecum retinuit, extra illa vixiſſe videntur. Quidam tamen putant ordinariam S. Patris reſidentiam fuiſſe in cœnobio S. Clementis, cui proinde inter illa locus minime foret aſſignandus, ſi attentius verba Gregorii expendantur.

Æquitius Maurum, Tertullus vero Patritius Placidum.) Oblationem hanc vulgo Noſtri referunt ad annum 523. at ex Gordiano in vita S. Placidi, & ex Fauſto in vita S Mauri revocanda eſt ad annum proxime antecedentem. *Patritii* nomen non prærogativam gentis, & familiæ, qua initio Urbis conditæ *patritii* tantum dicti ſunt nobiles, ſed titulum perſonalis dignitatis, & electivæ, illius inquam, quæ imperatoriæ olim dignitati æquabatur, in Tertullo indicare cenſet Angelus de Nuce in Notis ad cap. 1. Chron. Caſin.

In Caput Quartum.

C*Onſtituta hora expleta pſalmodia ſeſe fratres in orationem dedidiſſent.*) Mentalem intellige, utpote a vocali pſalmodia diſtinctam. „ Cave diligenter, ne cogitationi illi animi tui aſſentiare, quæ ab orationis canone nondum peracto avellere te ſtudeat. Habent enim morem hunc dæmones, ut faciendæ orationis temporibus, per ſpecioſam aliquam laudabilis cauſæ ſimulationem nobis auctores ſint, ut ab ea nos ſubducamus, ut quam ſalutem nobis afferre intelligunt, ab ea nos probabiliter abducant „. Baſilius in Ser. de rerum abdicatione.

In Caput Quintum.

R*Upem montis ſudantem invenerunt.*) Contigit hoc miraculum, teſte Simone Milletio, in monaſterio S. Johannis ab aqua; & nunc etiam fluit fons licet tenui vena, teſte Angelo de Nuce.

In Caput Sextum.

A*D Maurum monachum cucurrit Gothus.*) Maurum in Sublaco, quemadmodum poſtea Caſini, præpoſiti ſive prioris clauſtralis officio functum fuiſſe, adſtruunt Noſtri cum Hæfteno. Cere de eo Greg. c. 3. „ E quibus Maurus „ junior, cum bonis polleret moribus, magiſtri adjutor cœ„ pit exiſtere „.

Quod fecerat nuntiavit, & reatus ſui egit pœnitentiam.) „ Si quis dum in labore quovis &c. fregerit quippiam, aut „ perdiderit, & non continuo ante abbatem vel congrega„ tionem ipſe ſatisfecerit, & prodiderit delictum ſuum &c. S. Benedictus in Regula cap. 46.

In Caput Septimum.

P*Oſt Petrum Apoſtolum inuſitata.*) Scilicet rara, & paſſim non ita uſitata. Neque enim crediderim aliorum ante S. Maurum ſuper aquas itinera, quorum nomina Surius & Hæſtenus ſuggerunt, Gregorium latuiſſe.

Per capillos tenens.) Seu quod profeſſione nondum emiſſa, in coronam minime fuiſſet attonſus Placidus; ſeu quod monachis tunc ad cutem refecti non eſſent capilli. Certe ton-

tonſuræ uſum S. Benedicto fuiſſe cognitum, atque uſurpatum, licet deducere ex Regulæ cap. 1. ubi de Sarabaitis ait, quod *mentiri Deo per tonſuram noſcuntur*.

Melotem Abbatis.) Hæſtenus in Diſquiſitionibus agit de hac veſte, quam hoc loco ſignificare dicit monaſticam cucullam a S. Benedicto in Regula præſcriptam, ex Theodemaro ſeu Paulo Diacono in Epiſtola ad Carolum M. ita loquente. „ Illud veſtimentum, quod a Gallicanis monachis cu„ culla dicitur, & nos cappam vocamus, quod proprie mo„ nachorum deſignat habitum, melotem appellare debemus, „ ſicut & hactenus in hac provincia a quibuſdam vocatur, „ de quo ſicut B. Gregorius ſcribit in libro Dialogi, ereptus „ ab aqua per Maurum monachum puer Placidus dixit: „ Ego cum ab aqua extraherer, melotem ſuper me abba„ tis cernebam, eumque ab aquis educere conſiderabam „. De melote frequens eſt mentio in priſcis Regulis. Et quidem in Regula S. Pachomii. „ Habeant ſinguli melotem, „ ideſt pellem caprinam confectam albam, ſine qua neque „ comedant, neque dormiant „. Caſſianus libr. 1. cap. 8. „ Ultimus eſt habitus eorum pellis caprina, quæ melotes, „ vel pera appellatur „. *Pallium* interpretatur Mabillonius.

In Caput Octavum.

V*Icinæ Eccleſiæ Presbyter Florentius nomine*.) Yepeſio, & Milletio aſſerentibus Florentium hunc fuiſſe parochum, quemadmodum non contradicit Angelus de Nuce, ita vulgarem errorem appellat, extare hodie Florentii domus veſtigia in declivo collis cujuſdam duodecim, aut quindecim a flumine paſſibus; propterea quod minime veriſimile ſit parochi domum pluſquam integro milliario ab oppido abfuiſſe, quodque rudera in eo colle nunc extantia nihil minus referant quam privatæ domus veſtigia, ſed potius amplioris fabricæ ſubſtructiones.

Pro

Pro benedictione.) Scilicet eulogia, ſeu munuſculo.

Tolle hunc panem.) Heterodoxis narrationem hanc anilis cujuſdam fabulæ loco habentibus multa reponi poſſent; at Theodoreti verba hoc loco ſufficiant in Philotheo cap. 6. „ Si „ quis autem non habet fidem iis, quæ dicta ſunt, recorde- „ tur vitæ inſignis Eliæ, & corvorum miniſterii, qui mane „ quidem panem, veſpere autem ei carnem perpetuo affere- „ bant. Univerſorum enim effectori eſt facile, ut ſuis pro- „ videatur, omnem viam invenire.

Idque pro ſua ſolius perſecutione fieri pertractans.) „ Illos præ- „ cipue reprobi in ſancta eccleſia perſequuntur, quos multis „ conſpiciunt eſſe profuturos „. Gregor. 13. Moral. cap. 5.

Habitationem mutavit loci.) Florentii odia declinans, ut aperte docet Gregorius, non vero fratrum invidiam, quemadmodum excidit Baronio ad annum 523. ni ſatius videatur, amanuenſis ibi incuriam accuſare.

Quod vir Dei diſcipulus Maurus nomine.) Cum iis ſentio qui docent Maurum hunc non fuiſſe Æquitii filium ſuperius pluribus locis memoratum, ſed alium ab ipſo; tum quia B. Maurus non remanſerat Sublaci, ſed Benedictum diſcedentem comitatus fuerat, ut produnt Acta S. Placidi cap. 7. apud Surium; tum quia Gregorius, nominato ſemel Mauro Æquitii filio, *Maurum* ſimpliciter in conſequentibus ſemper vocat, cum hic longo verborum ambitu *Viri Dei diſcipulus*, *Maurus nomine* appelletur. Objectum ex libro vitæ S. Mauri, ubi cap. 13. aperte de B. Mauro refertur, quod de Florentii morte exultaverit, plures interpolationes, quas in eo libro viri docti obſervarunt, levioris ponderis efficiunt.

Ad alia demigrans loca.) Anno 529. S. Benedictum Sublaco diſceſſiſſe plures tradunt; alii vero, inter quos Mabillonius, anno 528. alii etiam anno 527.

Caſtrum namque quod Caſinum dicitur in excelſi montis latere ſitum eſt.) Angelus de Nuce & poſt eum Mabillonius dum pro-

probant antiquum caſtrum Caſinum nequaquam in cacumine montis, ſed in ejus latere fuiſſe, ex luculentiſſimis Gregorii verbis, & ex ipſa locorum inſpectione, rem quidem manifeſte evincunt. Non tamen video, qua ratione Cluverii, & Hæſteni verba ita uſurpaverint, ut eos, quod ad hoc ſpectat, fœde hallucinatos cenſuerint. Ait Angelus de Nuce .. „ Caſinatis montis, oppidique Caſini ita graphice „ ſitum delineat Magni Gregorii calamus, ut mirum vide„ ri queat, oculatiſſimos alioqui viros in tam evidenti de„ ſcriptione hallucinatos. Cluverius antiquum Caſini oppi„ dum eo loco fuiſſe ait, quo ſuum S. Benedictus extruxit „ monaſterium, nempe in cacumine montis. Cluverium ſe„ cutus Hæſtenus errori & ipſe patuit. Cum tamen lucu„ lentiſſimis Gregorii verbis facile doceri potuiſſent, fanum „ quidem, ubi dein monaſterium in cacumine montis con„ ſtructum; oppidum vero non in cacumine fuiſſe, ſed in „ latere montis . . . . . Etſi autem omni veterum teſtimonio „ deſtitueremur, ſola locorum inſpectione veritas ab errore „ diſcerneretur. Nam in vertice montis, ubi nunc cœno„ bium, nulla veteris oppidi apparent veſtigia. Multiplicia „ vero, eaque magnifica adhuc viſuntur in ipſius montis de„ cliviori latere „. Cluverii & Hæſteni ſententia, veluti eorum verba palam demonſtrant, ea quidem eſt, ut monaſterium Caſinenſe a S. Benedicto in caſtro Caſini exſtructum exiſtiment, non tamen caſtro ad montis faſtigium evecto, ſed monaſterio ad montis latus ſeu clivum dejecto; quæ ſententia falſa utique & ipſa habenda eſt, at neque recitatis Gregorii verbis, neque indicata locorum inſpectione refellenda. Hæſteni mens haudquaquam fugiſſe videtur Angelum de Nuce, dum inferius ipſemet Hæſteni hæc recitat verba. „ Porro quod nonnullis mirum fortaſſe videbitur, „ olim fuit utrumque hoc ſacellum extra ſepta monaſterii, „ quod in clivo ſive in latere montis, ubi olim caſtrum erat „ Caſinum, ædificatum fuit. Sacella autem hæc erant in

„ ipſo

Digitized by Google

„ ipſo faſtigio, quod tum temporis cœnobii terminis, uti „ nunc non continebatur „. Loquitur Hæftenus de oratoriis B. Johannis, & B. Martini in eo loco, ubi templum, & ara Apollinis erant, a S. Benedicto conſtructis. Horum ſacellorum, aliarumque veterum Caſinenſis cœnobii ſubſtructionum ſitum Angelus de Nuce in hunc modum diſponit. „ Apollinis ara erat in ipſo apice montis, ubi dehinc ora„ culum S. Johannis, & nunc ſanctuarium baſilicæ Caſina„ tis. Infra aram ad occaſum erat fanum, cui ſucceſſit ora„ culum B. Martini. Non longe a fano ad meridiem erat „ habitaculum, in quo poſtea S. P. Benedictus orans per„ manſit per quadraginta dies cum primum Caſinatem ſal„ tum idololatriam exterminaturus aſcendit, teſte Gordia„ no, vel potius Petro Diacono in vita S. Placidi, & in „ vita B. Martini Abbatis . . . . Prope hoc habitaculum „ orientem verſus erat dormitorium fratrum, cujus adhuc „ veſtigia ſuperſunt, & circa illud ceteræ monaſterii officinæ „ concipiendæ videntur. Hinc ducentis plus minus paſſibus „ diſtabat oratorium S. Johannis „. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 16. meminit cujuſdam anachoretæ, nomine Martini, qui Benedicto Caſinum advenienti loco cedere divinitus juſſus fuit, hancque de eo narrationem recitat. „ Hic cum „ primum ſe in eumdem montem contulit, necdum clauſo „ ſpecu habitans, catena ſibi ferrea pedem ligavit, eamque „ ſaxo ex parte altera affixit, ne ei ultra liceret progredi, „ quam catenæ ejuſdem quantitas tendebatur. Quod vir vi„ tæ venerabilis Benedictus audiens, cujus ſuperius mentio„ nem feci, ei per diſcipulum ſuum mandare curavit: Si „ ſervus Dei es, non teneat te catena ferrea, ſed catena „ Chriſti. Ad quam vocem Martinus protinus eamdem compedem ſolvit; ſed nunquam poſtmodum ſolutum pedem „ tetendit ultra locum, qui hunc tenere ligatum conſueve„ rat, atque in tanto ſe ſpatio ſine catena coercuit, in quan„ to & antea ligatus manſit „. Hæc eadem hiſtoria in Marci

ci poetæ carmine, & in quibuſdam ſermonibus ſuo loco editis commemoratur, ubi etiam exprimitur Angelorum & corvorum comitatus, qui Benedictum Sublaco Caſinum deduxit, quod poſtremum „ in veneranda Gregorianæ hiſtoriæ „ ſerie minime reperimus „ ut loquitur Petrus Damiani.

Commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat.) Baronius ad an. 529. „ Ut autem ad Ca„ ſini montem Chriſti athleta divinitus vocaretur, certamen „ quod adverſus dæmones mox ibi eſſet initurus, cauſa fuiſ„ ſe videtur. Neſcio enim qua incuria dormitantium epi„ ſcoporum, quæ longe lateque in chriſtiano orbe extincta „ erat idololatria, in monte illo altioribus fixa radicibus „ adhue vigebat. Ibi namque fortis armatus, tamquam im„ pietatis arce munitus, cultum a ſibi ſubditis infeliciter „ exigebat. Sed cum fortior ipſo venit, penitus cedere co„ gitur „. Habendus itaque Benedictus tractus illius Caſinenſis prædicator apoſtolicus, imo vere apoſtolus; cenſenda itaque abbatia Caſinenſis ab initio ſuæ fundationis proprium & diſtinctum territorium habuiſſe, quod prius ad Caſinenſem epiſcopum pertinebat. Quæ latius deducta invenies apud Lauretum, & apud Hæſtenum, qui hic Lauretum exſcripſit. Divino judicio reputatum fuiſſe Benedictum idoneum, cui immediate a Deo committeretur prædicationis officium, docet S. Thomas opuſc. 19. cap. 4.

Maledicte, & non Benedicte.) Novatores maledictis, & contumeliis monachos inceſſentes dæmonum lingua loqui, & eorum ſpiritu agitari, hinc diſcas.

Occaſiones victoriæ miniſtravit invitus.) Quantum victoriis ſuis Eccleſiæ profuerit ſanctiſſimus monachiſmi inſtaurator & propagator, liceat Baronii verbis ad an. 529. exprimere. „ At quis Dei conſilium non magnopere admiretur, dum „ conſiderat, eodem ferme tempore, quo in oriente mona„ chiſmus eſſet magna ex parte collapſus, compluribus ex „ iis a fide catholica ad diverſos hæreſum errores deficienti-

 „ bus,

„ bus, aliis quoque ab illo vetere inſtituto rigido in deli-
„ cias prolabentibus: eodem inquam tempore in occidente
„ inſtaurari, atque longe lateque diffundi obſervantiam mo-
„ naſticæ diſciplinæ, eamque adeo fœcundo germine propa-
„ gari, cum veluti ex tenui ſurculo prægrandium exortæ
„ ſint frugiferarum arborum ſilvæ, quæ univerſam repleve-
„ rint occidentalem eccleſiam; extiteritque locuples ſemi-
„ narium, ex quo plurimi progreſſi ſint ſanctiſſimi diverſa-
„ rum eccleſiarum epiſcopi; nec defuerint ex iis, qui in
„ throno apoſtolico conſidentes, univerſam catholicam eccle-
„ ſiam, cum vehementiores urgerent fluctus, conſtantiſſime
„ gubernarint: progreſſique ex eodem monachorum ordine
„ ſint, qui apoſtolico munere complures barbaras nationes,
„ Chriſti jugum ferre impatientes, tandem ad chriſtianam
„ fidem ſponte capeſſendam converterint; prodierintque alii,
„ qui ob ſuſcepta grandia pro religione certamina ſint victo-
„ res conſecuti coronam martyrii. Præterimus modo illos,
„ qui ſacrarum rerum ſcientia nobiles inter ſcriptores eccle-
„ ſiaſticos floruere; nec numeramus, quæ numerari vix
„ poſſint, ſacrarum examina virginum; ſicut nec facile ſit
„ recenſere, quot ex hoc uno vere dicendo ſui humilitate fon-
„ ticulo immenſa flumina ſint derivata; quot inquam ex
„ Benedicto diverſorum Ordinum ſint progreſſa agmina mo-
„ nachorum, qui licet diverſo nomine in eccleſia Dei cir-
„ cumamicta varietate cenſeantur, inſtituti tamen eſſe S. Be-
„ nedicti, & ab ipſo progredi glorientur. Hæc tanta tibi
„ hic uno intuitu, tanquam immenſum cœlum in parvo
„ globo deſcriptum, inſpicienda obiter modo proponimus,
„ quo ſentias facturos nos operæ pretium, ſi tanti viri pri-
„ mordia atque progreſſus, temporum ratione diſtinctos,
„ quantum licuerit, Annalibus intexamus, atque cum op-
„ portuna ſe occaſio dederit, ejuſdem contigerit meminiſse.

In

In Caput Nonum.

L*Apis in medio jacebat* .) Scribit Simon Milletius ſaxum hoc in quadrata area, quæ Caſinenſe monaſterium ingredientibus eſt ad dexteram, ex oppoſito cellulæ S. P. N. Benedicti, ſe vidiſſe & tetigiſſe, illudque duorum circiter modiorum vini pondus habere, ex craſſitie collegiſſe. Milletii verba exſcribunt Hæſtenus, & Angelus de Nuce, in quibus prior nihil animadvertit, retuliſſe contentus; aliqua vero poſterior, nimirum traditione apud Caſinum, (populari tamen) ferri inſeſſum à diabolo lapidem non illum, de quo Milletius, ſed alium, qui ab ingredientibus aſpicitur ad dexteram in angulo exteriori turris, quæ portæ ferreæ imminet, & primo clauſtro annexa eſt; cujus lapidis fronti crux inſculpta apparet, & longe gravior eſt, quam duorum vini modiorum pondus. Dein fatetur utriuſque traditionis ſibi ſuſpectam eſſe fidem, cumque nulla omnino Milletiani lapidis apud Caſinates memoria ſit, ſuſpicatur Milletio fucum factum, & fabulam obtruſam. Alius vero lapis, fragmentum eſt quadratæ paraſtatæ, vel altæ ſtylobatæ fabrefactæ diligenterque cælatæ; & recentioris apparet magiſterii. Demum concludit, nullam apud Caſinates, alioqui minutiſſimos, ſaxi hujus memoriam legi, & fortaſſis poſt diaboli inſeſſionem ab illo fabricam auctam fuiſſe, quod colligi videtur ex verbis Gregorii, „ & tanta lapis celeritate „ levatus eſt, ac ſi nullum prius pondus habuiſſet „. Non ita rejiciendam putavit idem ſcriptor aliam traditionem, unde Milletius modo allatæ traditioni fidem acceſſiit, de columna lapidea, quæ Caſini ante eccleſiam viſitur, cui olim impoſitum fuiſſe traditur idolum Apollinis, & in ejus locum Benedictum æneam crucem adorandam ſuperimpoſuiſſe; nam eam in capite proxime præcedenti referens, contrarium nihil objecit.

In Caput Decimum.

E*Xire ignis repente viſus eſt*. „ Nec mirandum perfectos, „ & fideliter Deo ſervientes viros tantam contra vim „ flammarum accipere poteſtatem, qui quotidiana virtutum „ induſtria & incentiva ſuæ carnis edomare, & omnia te- „ la nequiſſimi ignea norunt extinguere „. Beda in vita S. Cuthberti epiſcopi, qui hoc S. Benedicti miraculum imitatus eſt, cap.14.

In Caput Undecimum.

C*Ujuſdam curialis filium*.) Scilicet aulici, vel forenſis.

In Pſyatho.) Seges eſt, ſeu ſtorea ex junco vel papyro confecta. De vario hujus apud monachos uſu late Hæfſtenus in Diſquiſitionibus, ubi oſtendit eis fuiſſe pro lecto, pro ſtragulo, pro ſedili, atque, ut hic patet, pro eo quod genibus orantes ſubſternebant.

In Caput Duodecimum.

A*D reſponſum*.) Scilicet negotium. Unde *reſponſales*, qui negotia procurabant.

Cumque hoc de uſu regulæ ſollicite ſervaretur.) Quamvis pro comperto habendum ſit vivente S. Benedicto ipſius Regulam in Italia maxime promulgatam ac diſſeminatam fuiſſe, de quo primus omnium immerito dubitavit Gallonius Baronii patronus, ut Gregorium M. Benedictinis abjudicaret, nihilominus minime ſubſcribo Hæſteno exiſtimanti *regulam* & *morem cellæ*, de quibus in hoc capite, accipienda eſſe pro Benedictina ſpeciali norma, idque evidentiſſimum eſſe pronuncianti. Rectum prædictorum verborum ſenſum nos

nos edocet Angelus de Nuce, cujus judicio ea communem monaſterialem ritum, conſuetudinem, praxin regularem in monaſteriis receptam ſignificant; cujuſmodi eſſe probat ritum nihil extra monaſterium ſine prælati licentia comedendi, & benedictionis uſum procedentibus, & revertentibus largiendæ, de quibus obſervantiis in hoc Gregorii capite ſermo eſt.

In Caput Decimumtertium.

UT *ſervi Dei orationem perciperet*.) Scilicet benedictionem.

In Caput Decimumquartum.

G*Othorum namque temporibus cum Rex eorum Totila*.) Totilas Gothorum regnum iniit anno 541. ut ex Procopio colligunt Mabillonius & Pagius, quibus libentius aſſentimur quam aliis Totilæ initium alligantibus cum anno proxime ſubſequenti. De Gothis eorumque origine, de Spathariorum ſive Enſiferorum dignitate, de calceis reliquiſque indumentis regiis, de variis Comitum generibus & eorum officiis, plura hic Hæſtenus, & ex eo Angelus de Nuce, quæ plena manu eruditi lexicographi ſuppeditabunt.

In Caput Decimumquintum.

T*Otila ad Dei hominem acceſſit*.) Anno 542. contigit congreſſus Totilæ cum S. Benedicto ut placet Mabillonio & Pagio, utque poſtulare videntur Procopii verba.

Atque ex illo jam tempore minus crudelis fuit.) Manſuetudinis & clementiæ exempla a Totila in Romanos, Neapolitanos, alioſque, utique poſt congreſſum S. Benedicti, exhibita commemorat Procopius lib. 3. belli Gothici.

Anno regni ſui decimo.) Undecimo inchoato, decimo ex-

pleto,

Digitized by Google

pleto, ait Haſtenius, quem merito carpit Angelus de Nuce, propterea quod hanc interpretationem minime patiantur Gregorii verba: *Novem annis regnabis, decimo morieris.* Ad undecimum quidem annum Totilas regnum produxit, ut iidem Mabillonius, & Pagius adſtruunt ex Procopii verbis, quæ apertiſſima ſunt. Ut autem ea cum Gregorii verbis concilientur, dicere oportet, Totilam extinctum fuiſſe anno regni ſui decimo, initio hujus calculi non ab initio regni ejus deſumpto, ſed ab ipſo tempore quo colloquium cum S. Benedicto habuit; quo tempore annum & amplius Totilas regnarat.

Canuſinæ Antiſtes Eccleſiæ.) *Sabinus* in Actis S. Placidi appellatus. De Canuſio Procopius bello Goth. lib 3. „ Canuſium in mediis ſitum eſt Apulis: ab hoc XXV. ſtadiis „ haud procul & Cannæ ſunt vicus, ingenti illa Romanis „ illata clade nobilitate.

Roma a gentibus non exterminabitur.) Scilicet a Totila, & ſuo ſæculo.

Quamvis hoc Honoratus &c.) Mira Gregorii fides, ac diligentia.

In Caput Decimumſextum.

A*Quinenſis eccleſiæ presbyter.*) Veteris Aquini præter rudera ingentia, & eccleſiam Cathedralem, ipſam quoque collabentem, pauculæ nunc caſæ tantum ſuperſunt, ut teſtatur Angelus de Nuce, & quotquot loca illa inviſerunt.

In Caput Decimumſeptimum.

N*Uper illic Langobardi ingreſſi ſunt.*) De hac Caſinenſis cœnobii everſione ita Leo Oſtienſis in Chronic. Caſin. cap. 2. „ Huic ſanctiſſimo Patri ſuccedit in monaſterii regimine vir reverentiſſimus Conſtantinus ejuſdem S. Patris diſci-

„ ſcipulus . Tertius autem a B. Benedicto præfuit ejuſdem
„ congregationi Simplicius . Quartus Vitalis . Quintus vero
„ Bonitus . Quo præſidente Longobardi , qui nuper ſub Ju-
„ ſtino minore Italiam invaſerant , cum jam ab Incarnatio-
„ ne Domini quingentorum ſexaginta & octo annorum cir-
„ culis volveretur , præfatum cœnobium nocturno tempore ,
„ quieſcentibus fratribus , ingreſſi ſunt . Qui univerſa diri-
„ pientes , nec unum quidem illic hominem capere potue-
„ runt , videlicet ut ſermo S. P. Benedicti compleretur ,
„ quem Theopropo dixerat : Vix obtinere potui , ut mihi
„ ex hoc loco animæ cederentur . Fugientes itaque ex eo-
„ dem cœnobio fratres , Romam profecti ſunt , codicem ſan-
„ ctæ Regulæ , quam B. Benedictus deſcripſerat , & quæ-
„ dam aliam ſcripta , nec non & pondus panis , vini quo-
„ que menſuram , & quicquid ſuppellectilis potuerunt ſurri-
„ pere , deferentes . Atque ex conceſſione Romani pontificis
„ Pelagii , qui tunc ſedi Apoſtolicæ præerat , juxta Latera-
„ nenſe patriarchium monaſterium conſtruxerunt ; ibique per
„ centum ac triginta annos , quod Caſinenſe monaſterium
„ deſtructum permanſit , habitaverunt „ . Eadem fere Pau-
lus Diaconus hiſtor. Langob. lib. 3. cap. 6. quem certe exſcri-
pſit Oſtienſis , præterquam quod nulla apud illum , quemad-
modum neque apud Gregorium , mentio Pelagii papæ pro-
fugis Caſinatibus ſedes juxta Lateranenſe patriarchium aſſi-
gnantis . Caſinenſis cœnobii everſionem Matthæus Lauretus
ad Chron. Caſin. cap. 4. contigiſſe autumat anno 589. ſubdens
ſuæ huic , & communiori ſcriptorum opinioni conſonare ver-
ba Gregorii hoc capite , ubi aſſerit recentem illam fuiſſe ever-
ſionem , quando Dialogorum libros ſcripſit , ait enim :
„ Nocturno tempore , & quieſcentibus fratribus , nuper illic
„ Longobardi ingreſſi ſunt „ . Scripſiſſe autem Gregorium
Dialogorum libros quarto ſui pontificatus anno aperte colli-
gitur ex cap 36. 47. & 55. lib. 4. in quibus agens de peſte
illa , quæ Romam eo anno , quo ipſe pontifex creatus eſt ,
inva-

Digitized by Google

invaſerat, ante triennium fuiſſe aſſerit. Dein eidem opinioni conſonare aſſerit initum a Leone Oſtienſi calculum de tempore vaſtitatis & inſtaurationis monaſterii Caſinenſis, in recitato Leonis textu minime legens *centum ac triginta annos* ſed *centum quadraginta unum*, quam lectionem invitis codicibus a Laureto obtruſam veheementer conqueritur Angelus de Nuce. Demum opinionem illam adſtruit ex temporibus Zotonis ducis Beneventani, qui Caſinenſis everſionis auctor perhibetur. Zoto autem conſtitutus fuit Beneventanorum dux ab Autharit, qui teſtibus Baronio ad an. 585. & Sigonio lib. 1. de regno Italiæ, obtinuit Langobardorum regnum anno Domini quingenteſimo octogeſimo quinto; nec Zotonem Beneventanis præfeciſſe videtur niſi poſt Samnii, atque Calabriæ provincias devaſtatas, quod facere non potuit niſi duobus aut tribus annis, poſtquam regni potitus fuerat. In eamdem ſententiam cum Matthæo Laureto, quod ſpectat ad annum everſionis cœnobii Caſinenſis, deſcendit Arnoldus Wion ligni vitæ lib. 1. cap. 3. eidemque tamquam probabiliori adhæret Hæftenus. Angelus de Nuce ad cap. 2. Chron. Caſin. quemadmodum ex communi ſententia, quæ vaſtationem Caſinenſem Zotoni Beneventano duci adſcribit, eam nequaquam ante annum 585. quo Autharith regnum Langobardorum aſſecutus eſt, accidere potuiſſe affirmat, ita ex voce *nuper* a Gregorio uſurpata haud longe ante annum quartum pontificatus ejuſdem Gregorii, qui circa illum Dialogos ſuos ſcribebat; ac proinde contigiſſe autumat in annos præterlapſos tertium vel quartum, ut everſio illa dici potuerit *nupera* Gregorio. Ex quibus arguit a communi ſententiam annum everſionis cum anno Domini 579. alligante haud recedendum. Ab ea tamen recedere abſque piaculo fas mihi eſſe exiſtimem, Mabillonio aliam ineundi hujus calculi viam commonſtrante. Profecto permirum mihi videtur laudatos ſcriptores, alioſque plures memorati calculi aſſertores, minime animadvertiſſe, Gregorium Magnum in prologo 2. libri

bri Dialogorum ſcribere, Valentinianum ſancti Benedicti diſcipulum *multis annis*, antequam ipſe ſcribendis Dialogis operam daret, præfuiſſe monaſterio Lateranenſi: quod quidem a monachis Caſinatibus poſt illam ſui cœnobii deſtructionem primum habitari cœpit. Cum igitur Gregorius anno tertio ſui Pontificatus evoluto ideſt ineunte anno Chriſti 593. libros Dialogorum aggreſſus ſit, ut laudati auctores fatentur, decem ſaltem annis Caſinenſis everſio præceſſiſſe debuit, ut Valentinianus Lateranenſi cœnobio *multis annis* præfuiſſe dici potuerit tum, cum Gregorius ſecundum librum Dialogorum adortus eſt. Quæ animadverſio fortius adhuc adverſus allatam ſententiam urgetur, propterea quod Bonitus, ſub quo Caſinenſis everſio contigit, Valentinianum in Lateranenſis cœnobii regimine præceſſerit, ut noſtri perhibent; inde enim conſequitur, Boniti regiminis tempus, quantumcumque fuerit, diuturno Valentiniani regimini adjunctum, nil minus quam annorum decadem poſtulare. Nil autem referre, quod deſtructio illa Gregorio Dialogos ſcribenti *nupera* hoc loco dicatur, docebit Carolus Stephanus in Dictionario, ubi probat *nuper* nonnunquam de longiore tempore dici; docebit ipſemet Gregorius hanc vocem in eum ſenſum ſæpius uſurpans, ut apparet ex lib. 3. Dialog. cap. 8. & ex ejuſdem libri cap. 26. nam primo loco Conſtantium Aquinatem epiſcopum *nuper* prædeceſſoris ſuis Johannis Papæ tempore defunctum dicit Gregorius, cum tamen Johannes ille anno 573. diem clauſerit; in altero vero mortuum *nuper* Mennam ſcribit *ante hoc fere decennium*: quæ duo loca, ne reliqua memorem, ſatis aperte evincunt *nuper* a Gregorio ultra decennium, atque ultra vicennium fuiſſe porrectum. Placet itaque Mabillonio cladem monaſterio Caſinenſi a Langobardis illatam referre ad annum circiter 580. cum jam ſedem Romanam Pelagius tenebat; nihilve ipſe moratur, vel Paulum Diaconum, qui centum & decem annos; vel Leonem Oſtienſem, qui centum viginti; vel denique Pe-

E trum

Digitized by Google

trum Diaconum, qui centum ac triginta annos inter hanc cœnobii Caſinenſis ruinam, ac primam ejus inſtaurationem numerant: quoniam hi auctores nihil certi de hac re videntur reſciviſſe, quod maxime probat eorum diſſenſio; vel chronologici eorum characteres ab amanuenſibus vitiati ſunt. Hæc ſolide Mabillonius, præterquam quod paululum ipſum morari debebant Zotonis ducis tempora, quibus & ipſe communem ſententiam ſecutus Caſinenſem everſionem adſcribit. Zotonis vero Beneventani ducis initium propius ad annum 590. quam ad annum 580. acceſſiſſe oportuit, quandoquidem ipſi Beneventanus ducatus collatus perhibetur ab Authari Rege, qui regnum iniit anno 585. ut paſſim tradunt, vel 586. ut Pagius. Objectum inde deſumptum eo minus ſilentio a Mabillonio prætereundum videbatur, quod illi potiſſimum adverſariorum ſententia innitatur; cui non adeo leve pondus accederet, ſi iiſdem in mentem veniſſet aſſerere, quod facile poterant, ante Caſinenſem everſionem ſtetiſſe ad Lateranum monaſticas ædes, quas annis multis rexerit Valentinianus, ſancti Benedicti diſcipulus, quem ejus facta referentem Gregorius conſuluerat, quaſque Caſinates profugi ex conceſſione Pelagii papæ ibi recepti ita ampliaverint, ut exinde novi quodammodo monaſterii ſtructura ſurrexerit; quæ utique interpretatio non Gregorii, non Pauli Diaconi, non Leonis Marſicani verbis refragatur. Ne vero Mabillonii ſententiæ, cui jam ſubſcripſi, Zotonis tempora refragentur, allatum modo objectum ita diſſolvendum putem, ut retenta communi opinione de Caſinenſi deſtructione Zotoni adſcripta, quam utpote firmo fundamento deſtitutam pronum eſſet repellere, ea inquam retenta minime admittatur, ducem illum nonniſi poſt ſuſceptum ab Autharith Langobardorum regnum, principatum Beneventanum iniiſſe. Meminit quidem illius Paulus Diaconus prima vice lib. 3. cap. 16. poſtquam Autharith in regem evectum, omneſque ejus expeditiones uſque ad columnam maris Siculi

nar-

narraſſet ; at cum compertum ſit, eum Langobardorum geſta deſcribentem non omnino exactam chronologiæ rationem ſequi, nihil vetat, quominus Beneventana Zotonis primordia ad interregnum illud referamus, quo poſt Clephi regis cædem triginta duces remp. Langobardorum tenuerunt, ut ſcribit Paulus Diac. lib. 2. cap. 18. qui ex illis ſex tantum recenſitis ſubdit : „ & alii extra hos in ſuis urbibus triginta „ Duces fuerunt „. Porro hoc interregnum teſte ipſo Paulo Diacono eodem loco per decem annos duravit, quibus exactis iidem duces Autharith Clephi filium ſibi regem ſtatuerunt. Si itaque cum eo interregno Zotonis initia componantur, nullum exinde argumentum ſuppetet, quo Caſinenſem everſionem ab anno Chriſti 580. diſſociare cogamur.

Implevit omnipotens Deus &c. animas cuſtodiret.) Ad piam vetuſtamque quorumdam Caſinatum traditionem, quibus ex hujus prærogativa promiſſionis certum redditur, nullum in monaſterio Caſinenſi mori in ſtatu peccati mortalis, Angelus de Nuce hæc habet. „ Quibus quid addam Caſinas ego, „ in hoc ſacro archiſterio a pueritia enutritus? A pia majo„ rum noſtrorum credulitate non recedo: ſed nemini ſecuri„ tatem promitto. Scio enim & angelos in cœlo, & primos „ parentes noſtros in paradiſo peccaſſe, & Judam inter apo„ ſtolos connumeratum a Chriſto, infeliciſſima morte vitam „ terminaſſe. Non deſunt tamen exempla, quæ hanc piam „ fiduciam fovere videantur „. Quod vero ſpectat ad aliam traditionem Caſinenſium poſt priorem illam ab Hæſteno relatam de fulminibus in ſacrum Caſini montem non decidentibus, ſubdit Angelus de Nuce. „ O utinam fas eſſet an„ nuere. Immo frequentiora nos terrent, quod ante ſexcen„ tum annos teſtatus eſt Oſtienſis lib. 3. cap. 22. Dicere forte „ voluit Hæſtenus, innoxia hic eſſe fulmina, ſed neque ab„ ſolute id aſſerere potuerunt Caſinates.

Varior. Notæ

In Caput Decimumoctavum.

Alterum vero pergens in itinere abſcondit.) Longiuſculam annotationem a Matthæo Laureto huic capiti adjunctam exſcripſerunt Hæſtenus, & Angelus de Nuce, quæ hujuſmodi eſt. „ Aſcendentibus ad monaſterium Caſinenſe „ per viam ſancti Germani, in medio fere itineris occurrit „ quoddam ſacellum, titulo ſanctæ Crucis inſignitum, ſuper „ cujus altare viſitur vetuſta quædam ſcriptura, in lapidea „ tabula ſculpta, tenoris ſequentis. Anno Domini milleſi„ mo ducenteſimo nonageſimo quarto, ſanctiſſimus pontifex „ Cæleſtinus Quintus, cum limina beati Benedicti devote „ viſitaret, & ad cappellam ſanctæ Crucis, quæ in via „ publica eſt conſtructa, euntibus Caſinenſe Monaſterium: „ & miracula, quæ beatus Benedictus operatus eſt, ibidem „ certa relatione reperiſſet: ob reverentiam almifici Patris „ indulgentiam eidem cappellæ conceſſit, ut quicumque in „ prædictam cappellam ſanctæ Crucis ingrederetur, & Do„ minicam orationem cum Ave Maria diceret, centum an„ nos, & centum quadragenas, totiens quotiens inde tranſi„ ret, miſericorditer obtineret, & haberet „. Ut autem dignoſcatur, quænam fuerint miracula, ob quæ ſummus Pontifex motus fuiſſe videtur ad præfatam indulgentiam concedendam, ſubjiciunt laudati auctores litteras quaſdam Roffredi abbatis Caſinenſis, & cardinalis ad Johannem de Salerno æque cardinalem datas, quarum tenor apud eoſdem legi poterit. Duo autem in illis litteris ad cappellam ſanctæ Crucis memorantur patrata a Beato Benedicto miracula, quorum primum illud eſt, quod a Gregorio hoc capite narratur, alterum vero his verbis exponitur. „ Ab „ antiquis etiam uſque ad nos proceſſit opinio, quod cum „ vellet vir Dei, mulæ inſidens, montem ſcandere, in „ ſcabioſum lapidem impingens, mula corruit: ſed ne

„ vir

„ vir ſanctus, vel animal, quo vehebatur, læſionem ali„ quam pateretur, in ceræ mollitiem reſolutus lapis, car„ nis teneritudini ceſſit duritia ejus: & ſigni hujus memo„ riam omnibus locum viſentibus dereliquit. Eſt quoque „ non modicum medicinalis febribus lapis ille, prout teſtan„ tur multi, qui de illo in remotiſſimas deferunt regiones„. Duobus his antiquis miraculis recens aliud ſuo tempore geſtum recitat Roffredus, videlicet de claudo ad eamdem cappellam, quam B. Benedicto in ſomnis præmonente adiverat, ſanitatem conſecuto. Quod ſæpe ſuperius feci, cum de Caſinatum traditionibus ageretur, hic quoque judicium Angeli de Nuce ipſiuſmet verbis libenter appono. „ Mihi ſa„ ne religio eſſet piæ huic, & a majoribus ad nos tradu„ ctæ opinioni ſevero ſupercilio fidem abrogare. Video ta„ men, quid acrioris cenſuræ judicibus, & qui naſum pluſ„ quam rhinocerotis habent, circa hoc ſubolere poſſit. Præ„ ſtat tamen non tranſgredi terminos, quos poſuerunt pa„ tres noſtri: ſed ea pie credere, quæ ipſi crediderunt„. De alio lapide, qui aſcendentibus eumdem montem obvius eſt, impreſſum habens veſtigium genu hominis, quod ſancti Benedicti, cum primum cacumini Caſinenſis Arcis appropinquaret, ibi ſubſiſtentis & ut ad pugnam jam jam cum hoſte ſubeundam, orationis præſidio ſe muniret, ibidem adgeniculantis fuiſſe traditur, hæc apud eumdem ſcriptorem ſubduntur. „ Ceterum de miraculo apud vetuſtiores profun„ dum ſilentium, unde ſuſpicari quis poterit, poſteros ne „ hujus primæ cum diabolo velitationis periret memoria, „ eam ad nos tranſmiſiſſe, inſculpto ibidem adgeniculan„ tis veſtigio: cui deinceps populi prona credulitas miraculum „ concinnaverit.

In

In Caput Decimumnonum.

S*anctimoniales feminæ.*) Hæſteno contendenti has fuiſſe vere moniales, perpetuæ clauſuræ, choro aliiſque cœnobiticis muneribus addictas (quam monialium clauſuram exploratum eſt Divo Benedicto antiquiorem fuiſſe) ſubſcribit Angelus de Nuce. Id ipſum deducit Mabillonius in Præfat. ad Tomum Primum Actor. 5. §.3. ex voce *Sanctimoniales* qua a Gregorio Virgines in monaſterio Deo dicatas deſignari oſtendit ex pluribus Dialogorum locis. At vero cum facile demonſtretur, eadem voce uſum Gregorium lib. 3. Dial. c. 7. 14. ad deſignandas Virgines Deo in privatis ædibus devotas, quod ultro poſtea faſſus eſt ipſe Mabillonius in Annalibus, laudata ſententia fulciri debet *Aſceterii* nomine, quod Zacharias, horum temporum vicinus, uſurpavit, cujus hæc ſunt verba. „ Ibi quædam Sanctimoniales inerant, ſed in ipſo em„ porio erat aſceterium religioſarum, & venerandarum vir„ ginum „. Fulciri etiam poteſt Gregorii contextu, nam cum ibi dicitnr. „ Ibi quoque quædam ſanctimoniales femi„ næ inerant, & crebro illuc pro exhortandis animabus fra„ tres ſuos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Qua„ dam vero die miſit ex more „; publica ad omnes moniales exhortatio indicari videtur. Quod vero ſpectat ad reliquas Hæſteni opinationes, quod nimirum monaſterium illud a S. Benedicto conditum fuerit, quodque in eo vitam duxerit Scholaſtica germana ejus ſoror, cum Angelo de Nuce, ac Mabillonio nec omnino rejicio nec omnino probo.

Mappulas.) Strophiolos ſcilicet & ſudariolos, ſolita concionatoribus a monialibus xenia, ait Angelus de Nuce. De illis Hæſtenus in Diſquiſitionibus.

Digitized by Google

In Vitam S. P. Bened.

In Caput Vigeſimum.

C*Ujuſdam defenſoris filium.*) Defenſoris nomen officiumque diligenter enucleat Hæſtenus, & Angelus de Nuce lib. 4. Chron. cap. 37. oſtendentes alios fuiſſe Defenſores eccleſiaſticos ſeu eccleſiæ, alios politicos, ſeu civitatis ac provinciæ, hoſque agitandis litibus, cognoſcendis cauſis, ruſticis urbaniſque adverſus officialium inſolentiam, & judicum procacitatem defendendis, illos vero epiſcoporum adjutores pauperibus divitum potentia preſſis ſublevandis delegatos.

Ei ante menſam lucernam tenebat.) „ Nota pœnitentiæ vel „ mortificationis formam a S. Patre uſitatam, ex veterum „ ſine dubio monachorum uſu, „ ait Hæſtenus. At cum Angelo de Nuce libentius miniſterium noto, quod potius deſignant verba illa. „ Quis eſt hic, cui ego manducanti „ aſſiſto, lucernam teneo, ſervitium impendo „ ? Et alia. „ Vocatiſque ſtatim fratribus præcepit ei lucernam de mani- „ bus tolli, ipſum vero juſſit a miniſterio recedere.

Quis ſum ego ut iſti ſerviam.) Gallonium argumento inde ducto triumphare ſibi viſum de ſancti Benedicti nobilitate, pluribus refellunt Hæſtenus, & Angelus de Nuce. Satis ſint Mabillonii verba. „ Prætereo hoc loco inofficioſos cenſores „ nonnullos, qui ex inſana monachi cogitatione præjudicium „ inferunt adverſus S. Benedicti natalium dignitatem; quod „ fere perinde eſt, ac ſi aliquis ex blaſphemis hominum cogi- „ tationibus contra Dei majeſtatem argueret. Sed nos in ſan- „ ctiſſimo Patre noſtro non tam generis ſplendorem quæri- „ mus, quam virtutis, ex cujus, ut ita dicam, proſapia „ ſumus procreati.

In

Digitized by Google

In Caput Vigeſimumprimum.

IN *eadem Campaniæ regione fames incubuerat.*) De ea Procopius lib. 2. de Bello Goth.

In ſaccis inventi ſunt.) Leo Oſtienſis Chron. cap. 48. „ Monaſterium, quo in Theano fratres degere cœperant, occulto Dei judicio ab igne crematum eſt cum omnibus opibus „ ſuis. Ubi etiam & Regula, quam B. Benedictus manu „ ſua conſcripſerat, nec non & ſacci, in quibus juſſu Dei „ cœlitus eidem patri Benedicto eſcæ delatæ ſunt.

In Caput Vigeſimumſecundum.

IUxta *Terracinenſem urbem.*) Urbs eſt Campaniæ, ſeu Latii novi ad oram Thyrreni maris.

Monaſterium.) Terracinenſe hoc monaſterium a Caſinatum jure ſubductum fuiſſe his verbis deplorat Angelus de Nuce. „ Monaſterium hoc Terracinenſe Protomartyris Stephani nomen ſortitum, juris fuit hujus Caſinenſis cœnobii uſque „ ad noſtram ætatem: inconſulto deinde conſilio a nobis ſubductum, & alienatum; me certe tunc juniori animoſe „ proclamante. Æquo enim animo ferre non poteram, ve„ tuſtiſſimam ſanctamque memoriam nobis deperire.

In Caput Vigeſimumtertium.

SAnctimoniales *feminæ.*) Hæ quoque monaſticæ profeſſioni, ac recluſioni addictæ erant, quod probant verba. „ Quibus quidam religioſus vir ad exterioris vitæ uſum præ„ bebat obſequium; „ id ipſum probat excommunicatio a ſancto Patre iiſdem intentata. Nec contrarium arguere licet ex verbis *in loco proprio converſabantur*, nam ea ſignificare poſſunt locum peculiarem, cœnobitico inſtituto proprie deſti-

deſtinatum, vel, ut tradit Hæſtenus, accipienda ſunt, quemadmodum Gloſſa in cap.2. de Viduis 28. q. 1. accipit *propriis* addens *ideſt quæ fuerunt propria* . In narratione hujus capitis multa continentur obſervatione digna ad eccleſiaſticam diſciplinam , ſcilicet de more dimittendi a miſſarum ſacrificio poſt Evangelium illos , qui non communicabant , de more oblationis pro ſacrificio offerendæ , demum de illata defunctis excommunicatione, ac conceſſa iis abſolutione , utique ad terrorem vivorum . Quæ omnia apud liturgicarum rerum tractatores affatim diſcuſſa reperies.

In Caput Vigeſimumquartum.

V*Ir Dei manu ſua protinus communionem Dominici corporis dedit* .) Quoniam ex hoc, inter alia, ſacroſanctæ eucharistiæ immediato contactu arguunt plerique ſacerdotium ſancti Patris Benedicti , agitat Angelus de Nuce hoc loco quæſtionem ; Utrum S. P Benedictus fuerit ſacerdos , ab Hæſteno in Prolegomenis fuſiſſime diſcuſsam . Affirmativæ ſententiæ momenta Lauretus in Adnotatione ad caput præcedens his verbis exponit . „ Ex his quæ beatus Gregorius „ in hoc capite narrat, probabiliter valde colligitur, beatum „ Patrem Benedictum ſacerdotali ordine inſignitum fuiſſe . „ Cum enim Petrus dubitaverit , qualiter vir Dei Benedi„ ctus adhuc in carne degens potuerit ſolvere animas in Dei „ judicio jam conſtitutas : reſpondit Gregorius, hoc potuiſſe „ authoritate Chriſti dicentis Petro : Quodcumque ligaveris „ ſuper terram , erit ligatum & in cœlis ; & hanc poteſta„ tem tribuit Benedicto . Præterea capite ſequenti docet , „ qualiter beatus Benedictus manu ſua communionem Do„ minici corporis dederit quibuſdam : tractare autem hæc ſa„ croſancta myſteria manibus propriis ſacerdotum eſt . Dein„ de ipſe beatus Benedictus cap. 7. ſuæ Regulæ gradu quin„ to humilitatis docet , tunc monachum ad hunc gradum

Digitized by Google

„ perveniſſe, cum omnes cogitationes malas cordi ſuo advé-
„ nientes, vel mala a ſe abſconſe commiſſa, per humilem
„ confeſſionem abbati non eelaverit ſuo. Quod de confeſſio-
„ ne ſacramentali intelligit, & exponit Cardinalis Turrecre-
„ mata in commentario ejus loci. Sic etiam cap. 46. agens
„ beatus Pater de his, qui in aliquo opere delinquunt, quo-
„ modo debeant ſatisfacere, in fine capitis hæc habet: Si
„ animæ vero peccati cauſa fuerit latens, tantum abbati,
„ aut ſpiritualibus ſenioribus pateſaciat; qui ſciant curare
„ ſua & aliena vulnera, non detegere, & publicare. Quod
„ ſimiliter de confeſſione ſacramentali intelligendum eſt. Ad-
„ de his ea, quæ idem ſanctus Pater ordinat cap. 9. & 11.
„ Regulæ ſuæ, videlicet ut abbas benedicat in choro eos,
„ qui dicturi ſunt lectiones, & legat lectionem de Evange-
„ lio cum honore & tremore &c. & data benedictione in-
„ cipiunt matutinos ideſt laudes. Ulterius cap. 69. præcipit,
„ ut ſacerdotes monachi ſtent poſt abbatem, & benedicant
„ &c. Sciebat igitur ſanctus Pater poteſtatem benedicendi
„ eſſe ſacerdotalis officii. Cumque ipſe fuerit abbas, & ſuæ
„ Regulæ obſervantiſſimus, dicendum eſt fuiſſe ſacerdotem.
„ Denique ipſe B.Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 4. agens de ſan-
„ cto Equitio narrat quemdam ipſius familiarem Felicem no-
„ mine familiaritatis auſu ei dixiſſe: Qui ſacrum ordinem
„ non habes, atque a Romano pontifice, ſub quo degis,
„ prædicationis licentiam non recepiſti, prædicare quomodo
„ præſumis? & ſubjungit Gregorius querelam datam ſum-
„ mo pontifici adverſus eundem ſanctum virum, quod præ-
„ dicationis officium ſibimet uſurpare præſumſiſſet, & cete-
„ ra quæ ſequuntur. Cum autem beatus pater Benedictus
„ miſſus fuerit a Deo ad prædicandum, ſicut & beatus E-
„ quitius, nec ſciamus eum facultatem prædicandi a ſum-
„ mo pontifice obtinuiſſe, quod Gregorius non tacuiſſet; vi-
„ deamus præterea non ſolum ipſum prædicaſſe, verum etiam
„ monachos ſuos ad prædicandum miſiſſe, ut docet Grego-

„ rius

„ rius ſupra cap. 19. nec inde fuerit orta murmuratio , aut „ querela aliqua contra eum , ſicut contra ſanctum Equi- „ tium , videtur dicendum illum ſacerdotem fuiſſe , & ſic „ libere & licite prædicare potuiſſe . Quibus adde beatum „ Benedictum fuiſſe electum in paſtorem , & rectorem ani- „ marum diœceſis Caſinenſis , ut docuimus ſupra in adno- „ tatione ad cap. 8. ad quod munus rite & recte adimplen- „ dum , oportebat eum eſſe ſacerdotem . Quæ quidem om- „ nia in unum collecta evidenter fere concludunt , beatum „ patrem Benedictum ſacerdotali dignitate fuiſſe præditum „ . Hæc tamen argumenta non evidenter imo etiam nec probabiliter Laureti intentum evincere , traditæ ab Hæſteno reſponſiones luculenter demonſtrant , quas paucis ita perſtringimus . Ad I. Eccleſiaſtica excommunicatio inferri , & auferri poteſt a non ſacerdote . Ex illis autem ſcripturæ verbis : Quodcumque ligaveris &c. quemadmodum adſtruitur poteſtas abſolvendi a peccatis , ita etiam colligitur tradita eccleſiæ poteſtas ferendi cenſuras . Ad II. Diaconis antiquitus permiſſum erat corpus Dominicum tangere , & laicis præbere maxime in abſentia presbyteri ; imo idem contactus laicis quoque permiſſus erat , quod conſtat ex hoc ipſo Benedicti facto parentum defuncti monachi , qui utique ſacerdotes non erant , manibus attrectandam euchariſtiam committentis . Ad III. Ea conſcientiæ manifeſtatio non neceſſario intelligitur de confeſſione ſacramentali , ſed æque bene intelligi valet de alia quadam ſui manifeſtatione , quæ extra ſacramentum fieri olim conſuevit , & veteribus monachis erat uſitatiſſima . Præterea dici poteſt Benedictum præſcripſiſſe occulta peccata patefacienda abbati , ſi eſſet ſacerdos , aut ſpiritualibus aliis ſenioribus ſed ſacerdotibus ; ſi abbas initiatus non eſſet . Ad IV. Benedictiones monaſticæ nullam cum ſacerdotali ordine habent connexionem ; unde Synodus Aquiſgranen. num. 62. ſtatuit : „ Ut abbates , præpoſitus , vel de- „ canus, quamvis presbyteri non ſint, lectoribus benedictio-

„ nem tribuant „ . Certe S. Benedicti tempore non omnes ſeniores debuerunt eſſe ſacerdotes; & tamen in Regula c.63. præcipit: „ Ubicumque autem ſibi obviant fratres, junior a „ priore benedictionem petat „ . Nec portarium ſacerdotem eſſe oportuit; ei tamen præſcribitur: „ Ut cum aliquis pulſaverit, aut pauper clamaverit, Deo gratias reſpondeat, „ vel benedicat „. In omnibus ſanctimonialium cœnobiis ſibi invicem ſacræ virgines benedictiones impendunt. Demum in publico miſſæ ſacrificio diaconi ſolemniter Evangelium decantant. Ad V. Compertum eſt antiquitus etiam ad diaconos prædicandi munus pertinuiſſe. Quin & citra diaconatus gradum, ex ſola Dei juſſione licita fuit prædicatio Antonio, Symeoni Stylitæ, Aphraati apud Theodoretum, & Equitio hoc potiſſimum nomine ei conceſſa fuit. Videntur autem divinam hanc in ſancto Benedicto evangelizandi auctoritatem omnes vel ex ſequentibus ſignis vel ex tanti viri ſanctitate agnoviſſe; ac proinde nullam ei, ut ſancto Equitio, legimus factam oppoſitionem, aut motam controverſiam. Ad poſtremum, in gubernatione Caſinenſis diœceſis munia ſacerdotalia exerceri poterant ab iis ex ipſo ſancti Patris ſodalitio, qui presbyteratu initiati reperiebantur, cujuſmodi plures Benedicto adhæſiſſe, non eſt quod aliquis inficias eat. Neque vero memorata de S. Benedicti ſacerdotio ſententia veterum ſcriptorum auctoritate firmatur, nam inter illius patronos nemo ab Hæfteno vetuſtior recenſetur Johanne Franciſco Brixiano Congregationis S. Juſtinæ Ordinis S. Benedicti monacho, qui quatuor approbatas Religioſorum Regulas, & commentarium Cardinalis Turrecrematæ cum 2. libro Dialogorum S. Gregorii anno 1500. Venetiis edidit, quod opus poſtea Pariſiis recuſum fuit. Contraria autem ſententia, quæ nimirum S. Benedicto ſacerdotium negat, non ſolum pluribus, ſed antiquioribus etiam nititur auctoribus, quorum agmen apud Hæſtenum ducit Petrus Bleſenſis, Bathonienſis in Anglia archidiaconus S. Bernardo coævus; ſequun-

quuntur poſtea Philippus Bonæ ſpei abbas, S. Bonaventura, S. Petrus Cæleſtinus aliique. Rationes, ob quas S. Benedictus ſacerdotio abſtinuerit, non quidem uſquequaque certas, ſed admodum probabiles idem Hæſtenus deducit in Prolegom. 18. §. 5. quarum prima eſt adamatæ ſemper ac Benedicto congenitæ humilitatis ſtudium; altera deſiderium imitandi priſcos illos patres & monachos, quos ſciebat a presbyteratus gradu ſuſcipiendo vel maxime abhorruiſſe; tertia exemplum ſubditis ſuis tradendum, ut in iis ſcilicet intempeſtivum clericatus deſiderium, quo non raro tentantur monachi, ſuomet facto compeſceret; quarta divinus forte inſtinctus, quo vir ſanctus commonitus fuerit, ne ſacerdotii honorem capeſſeret, aut ullatenus admitteret; poſtrema demum, quam adfert §. 8. deducitur ex facto S. Mauri, quem ad abbatialem dignitatem evectum in levitæ ſeu diaconi gradu permanſiſſe veterum martyrologiorum, aliorumque monumentorum auctoritate probatur. Cenſendus eſt autem S. Maurus vivam S. Benedicti imaginem repræſentaſſe, ac propterea facile perſuadetur, quod ille minime ſibi licitum reputaſſet a ſacerdotali gradu abſtinere, ſi hunc in abbate & ſanctiſſimi magiſtri exemplum, & expreſſa in ejus Regula præcepta poſtulaſſent. Quæ omnia ab Hæſteno propoſita cum conjecturarum loco habenda ſint, operæ pretium eſt inſpicere num ſolidiora aliunde ſuppetant argumenta, quibus celeberrima hæc apud Noſtros controverſia omnino finem accipiat. Duo hujuſmodi argumenta ſuggerit Angelus de Nuce, quorum primum deſumptum eſt ex Regeſto Petri Diaconi, ubi Petrus Alberici in oblatione de S. Salvatore in Tuſculana, ſcriptura 446. data anno quinto Pontificatus Alexandri II. ſanctum Benedictum confeſſorem, & *levitam* appellat; alterum ex codice vetuſtiſſimo Caſinenſis bibliothecæ ſignato num. 353. in cujus prima membrana exhibetur ſanctus pater Benedictus dalmatica indutus, ſtola diaconali ab humero ſiniſtro in dexterum latus tranſverſa. Picturam hanc graphice delinea-

tam

tam appoſuit Angelus de Nuce & ex eo Mabillonius in Annalibus pag. 121. apud quem S. Benedictum diaconum fuiſſe conſtans noſtrorum traditio dicitur, antiquis picturis monumentiſque confirmata. Ex eadem effigie præter ſancti Benedicti leviticum gradum quædam alia cum laudatis auctoribus colligere licet de primario habitu noſtro obſervatione digna. Primo D. Benedictus non promiſſa barba ſed neglecta, &, ut dicitur, rotunda conſpiciendus proponitur. Deinde in icone Johannis abbatis ſtantis ante D. Benedictum deprehenditur ſcapularis forma non ultra umbilicum protenſi, & ſub ſcapulis aſſuti. 3. Capucium acuminatum. 4. Color tunicæ talaris albus, contra quam ſcapularis qui niger eſt.

Super pectus ejus magna eum reverentia ponite.) De more immittendi euchariſtiam in os mortuorum, illamque iis contumulandi plura apud Hæſtenum, & apud Angelum de Nuce ex Gabriele Albaſpinæo aliiſque. Mihi ſufficiet adnotare prædictum morem vel abuſum antiquitus apud quoſdam receptum fuiſſe, quem poſtea Concilia atque Patres proſcripſerunt, & præſertim Concilium generale ſextum. Hoc autem Concilium poſterius fuit Benedicto; priora vero non erant generalia, nec per conſequens univerſam obligabant eccleſiam. Et ſane Gregorius referens hoc factum Benedicti, tantum abeſt ut illud reprehendat, aut excuſet, quin potius laudet.

In Caput Vigeſimumquintum.

JUſſit ut diſcederet.) Vel quia ſolum erat novitius, vel quia magni fecit B. Pater hoc mobilitatis crimen, vel quia præſciebat divina & mirabili viſione, a via fuiſſe revocandum, vel quia monacho diſceſſionem petenti concedere olim non adeo inſolens. De quibus omnibus fuſe Hæſtenus in hunc locum, & in Diſquiſitionibus. Simoni Milletio

aliiſ-

aliiſque deſignantibus locum in deſcenſu ſcilicet montis Caſini ad S. Germanum, in quo draco monacho huic apparuerit, refragatur lectio tituli hujus capitis; *Qui in gradu eodem monaſterii* quaſi dicat in ipſo monaſterii deſcenſu; unde hic ſubditur: *Currentes autem fratres*. Statim ſiquidem accurrerunt. Quare Angelo de Nuce inveriſimile eſt, quod aliqui locum, ubi draco abeunti apparuit, deſignant infra viam.

In Caput Vigeſimumſextum.

M*Orbo elephantino*.) ſcilicet lepra.

In Caput Vigeſimumſeptimum.

S*Alutem priſtinam citius recepit*.) Ignorare ſe ait Angelus de Nuce, unde Simon Milletius acceperit, in quodam ſacello prope S. Germanum, leproſum hunc fuiſſe a S. Benedicto curatum; cum Gregorius ſcribat leproſum deductum fuiſſe ad virum Dei, non ergo in via ſed in monaſterio ſanatus deſcribitur.

In Caput Vigeſimumoctavum.

P*Er feneſtram projicerent*.) „ Erat porro hæc feneſtra altera earum, quæ S. Benedicti illuſtrabat cellam, in „ ſumma contignatione turris conſtituta, quæ nunc atrium „ efficit monaſterii „. Ita annotantem Milletium, his verbis caſtigat Angelus de Nuce. „ Non atrium ibi nunc eſt „ monaſterii, nec tempore, quo Milletius Caſinum adivit, „ erat. Sed potius monaſterii primus aditus, cui turris im„ minet.

Sic manſit incolume.) Vitreum vas ſaxis ſuam impreſſiſſe figuram, quæ hodieque appareat, ſcribit Milletius. Angelus

lus vero de Nuce hæc habet : „ De impreſſione nullum ver- „ bum , quod tamen nec omiſiſſet , nec omittendum fuiſſet „ Gregorio : nec iis , qui Gregorio retulerunt . Neque poſte- „ riorum aliquis meminit ; ſed de hoc ſupra „ . Nimirum ad cap. 18. ubi traditionem hanc vetuſtiſſimam appellat.

In Caput Vigeſimumnonum.

S*Alubriter correptus erubuit* .) Paul. 2. Chor.2. „ Et quis eſt „ qui me lætificat, niſi qui contriſtatur ex me ? . . . . „ Ecce hoc ipſum quod contriſtati eſtis, quam magnam in „ vobis ſolicitudinem operatum eſt.

In Caput Trigeſimum.

A*Ntiquus hoſtis in mulomedici ſpecie obviam factus eſt , cornu , & tripedicam ferens* .) Mulomedicus, Italicæ *Mareſcalco* . Videſis Adnotationem in hunc locum inter variantes lectiones . Illud hic tantum addo , Mabillonio , cui in Actis dure admodum ſonat dæmonem , ut monachorum tentatorem ageret , veterinarii formam adſumſiſſe , & triplici pedica uſum , in promptu eſſe ſimile quid exhibere de S. Macario apud Ruffinum in vitis Patrum lib. 3. num. 61. „ cui apparuit dæmon veſtitus tunica linea perforata, & per „ ſingula foramina vaſcula parva dependebant , & dixit ſe- „ nex : Quo vadis maligne? & reſpondit ei : Vado commo- „ vere fratres hos , qui ſunt inferius . Cui ſenex dixit : Et „ propter quid tot vaſcula fers tecum ? At ille dixit : Gu- „ ſtum fero fratribus , & ideo tanta fero , ut ſi unnm di- „ ſplicuerit , oſtendam aliud , & ſi illud non placet, porri- „ gam aliud , & fieri non poteſt , niſi unum ex ipſis ali- „ quod placeat eis : & hæc dicens diſceſſit „ . Hunc locum ex vitis Patrum indicavit poſtea Mabillonius in Annalibus.

In

In Caput Trigeſimumprimum.

G*Othorum quidam Zalla nomine.*) Merito haudquaquam probatur Angelo de Nuce quod tradit Baronius; ſcilicet Zallam hunc fuiſſe ducem exercitus Gothorum. „ Quis „ credat magni ducem exercitus puſilli ruſtici rebus inhiaſ„ ſe? ſolum ſine ullo comite procedere? Ruſtici brachia „ loris adſtringere? Ad benedictionem accipiendam, hoc eſt „ aliquod munuſculum, vel cibum introrſus tolli?

Ut benedictionem acciperet.) Scilicet eulogiam, ſive cibum benedictum, & quia Chriſtiani moris eſt abſque prævia benedictione cibum non ſumere, hinc ipſa refectio benedictionis nomine appellatur.

In Caput Trigeſimumſecundum.

S*Uper corpuſculum infantis incubuit.*) Ingredientibus Caſinenſe cœnobium ſtatim occurrit ad dexteram parvulum oratorium ſuper cujus altare ſedet ſignum S. P. Benedicti marmoreum, ibi hunc infantem reſuſcitatum ex traditione haberi, poſt Milletium teſtatur Angelus de Nuce; itidem ibi ducentos farinæ ſaccos inventos; ac demum ampullam vitream ibidem in ſaxa ſine damno alliſam. Quæ tria explicant verſus inibi marmori coronidis inſcripti.

Mortuus hic puer eſt, Benedicti voce revixit.
Tacta ſilex cubiti ſubſedit pondere ſacri.
Plena oleo phiala ſignantur ſaxa cadenti.
Bis centum modii farinæ mane videntur.

Vetuſtiſſimam harum impreſſionum traditionem minime a ſevero Critico elevandam ſperat Angelus de Nuce.

Digitized by Google

Varior. Notæ

In Caput Trigeſimumtertium.

SOror namque ejus Scholaſtica nomine.) Mabillonius in Annalibus. „ Nil moror Trithemium, qui Benedictum & „ Scholaſticam uno partu ex Abundantia editos dicit; nec „ alia recentiorum de hac re ſomnia, digna fabulis anicularum „. Verba Berthārii ſeu potius Bedæ in ſermone de S. Schol. ubi ea dolens, quod frater ſecum manere pernegaſſet, ſic loquens inducitur: „ Tu non cernebas quod una „ nobis manſio fuiſſet inter uteri ſepta „; hæc inquam verba probant quidem Scholaſticam Benedicti germanam fuiſſe, non vero eodem cum fratre partu editam. S. Scholaſticam vere clauſtralem religioſam fuiſſe, monachico ſcilicet habitu, in aliarum convictu ſanctimonialium, certis adſtrictam legibus, invictis evincitur argumentis, cujuſmodi ſunt quæ ab Hæfteno, & Angelo de Nuce late & ſolide propoſita reperiuntur. Iidem aperte etiam probant, monaſterium in quo degebat Scholaſtica prope Caſinum fuiſſe, ac forte non aliud, ut ex traditione compertum habemus, quam Plumbariolam, ubi Thaſia Ratchiſi ducis uxor, & filia eorum Ratrudis monaſterium conſtruxerunt, aut forte inſtaurarunt, teſte Leone Oſtien. lib. 1. Chron. Caſin. cap. 8. Tam monachatus Scholaſticæ, quam domicilium ejus juxta Caſinum, utrumque inquam, certiſſimum exiſtimat Mabillonius in Præf. ad Acta & in Annalibus; idemque aliis divinandum permittit, an ſancta Scholaſtica, quam Domino ab infantia dicatam aſſerit Gregorius, primitus apud Sublacum ſeſe receperit; an potius Romæ aut alibi votis monaſticis adſtricta, poſtmodum Caſinum ad fratrem acceſſerit. Hæc indicaſſe ſufficiat, nam Benedicti rebus illuſtrandis commentarius hic noſter inſtituitur, non vero ſororis ejus Scholaſticæ.

Ad eum ſemel per annum venire conſueverat.) Ob honeſtam ali-

aliquam cauſam pedem e monaſterio efferre monialibus tunc licebat.

In poſſeſſione monaſterii deſcendebat .) Extat ibi etiamnum cappella in honorem ſanctæ Virginis diſtans a Caſinate monaſterio paſſibus plus minus quingentis in ipſo ineuntis montis clivo , prope rivulum Caſini , indeque Plumbariola totidem fere abeſt ſpatiis . Quare autem extra utriuſque monaſteria alter alterum conveniret , Beda & Bertharius in ſermone de S. Scholaſtica triplicem aſſignant rationem, videlicet 1 „ Ut fragilis ſexus non laſſeſceret , obvius frater occurrit . 2. Ut ſæcularium vitarent latratus ſaltem contra „ diſcipulos . 3. Quod illicitum reputaret tanti limen cœnobii fœmineo calcari pede .

In Caput Trigeſimumquartum.

E*Levatis in aera oculis*.) Stans in feneſtra , quæ Plumbariolam reſpicit ad occaſum turris. Verſus, quos Milletius refert ei feneſtræ ſubſcriptos

Virgo columbina ſpecie Nurſina per æthram
Migrat in angelicos fratre vidente choros.

Hi inquam verſus neque tempore Angeli de Nuce ibi legebantur . De Turri cap. ſequenti .

Quos etiam protinus miſit , ut ejus corpus ad monaſterium deferrent .) Merito miratur Angelus de Nuce placere potuiſſe Johanni Bollando in Actis SS. ad 10. Febr. ut interpretaretur juſſum a Benedicto virginis corpus uſque Sublaco per quinquaginta milliaria Caſinum deduci , quantumvis pauci fuiſſent monachi funeris portitores . Certe ex prædictis verbis colligere eſt monaſterium S. Scholaſticæ Caſinenſi fuiſſe vicinum . Sicuti ex voce *cellæ* ad quam Scholaſticam remeaſſe poſt ſpiritale colloquium ſcribit Gregorius , monaſticum ejus inſtitutum recte colligimus.

In Caput Trigeſimumquintum.

S*Ervandus Diaconus, atque Abbas, ejus monaſterii, quod in Campaniæ partibus.*) Servandum hunc abbatem fuiſſe diaconum, non vero ſacerdotem, obſervare nos monet Hæſtenus contra eos qui ex abbatiali dignitate S. Benedicti, preſbyteratum ejus ſe evidenter arbitrantur colligere. In Actis S. Placidi cap. 7. legimus S. Benedictum, dum Caſinum peteret, juxta Alatrium deveniſſe, & in monaſterio ſancti martyris Sebaſtiani hoſpitio ſuſceptum, indeque recedentem ſancto Servando diacono valedixiſſe.

Liberio Patricio.) Hic Baronio ad annum Chr. 526. ille ipſe videtur eſſe, qui præfectura Galliarum prius ſub Theodorico, dein ſub Athalarico Gothorum regibus decoratus fuit, quique poſtea ab eodem Athalarico Romæ munus præfecturæ prætorianæ conſecutus eſt, idemque ſenator ac legatus Theodati regis ad Juſtinianum fuit, a quo factus auguſtalis miſſus eſt Alexandriam. De eo multa ex Baronio Hæſtenus.

In cujus turris ſuperioribus.) De hac ita Angelus de Nuce. „ Turrim hanc pene unice nunc extantem ex antiquio„ ris monaſterii fabrica, traditio eſt præceſſiſſe adventum „ ſancti Patriarchæ; ejuſque fuit, dum Caſini vixit, pro„ prium habitaculum. Quæ de eadem ex Simone Milletio „ hic refert Hæſtenus, diverſam nunc faciem repræſentant: „ ex quo enim Milletius Caſinum inviſit, non pauca ſunt „ variata; aliqua etiam, labente forte memoria, non ad„ amuſſim expreſſit. Quapropter ne in ſingulis inutiliter hæ„ reamus, præſentem rerum ſtatum hic duximus exhiben„ dum, ut ex genuino tralatitium diſcernatur. Adeuntibus „ ergo ſacrum hoc cœnobium occurrit in primo limine ex „ rudioribus ſaxis fornix primæ januæ, eſtque antiquæ tur-

„ ris inferior concameratio, quam ob vetuſtatis & ſanctiſſi-
„ mi habitatoris venerationem majores noſtri in ſua rudita-
„ te relinquendam ſtatuerunt. Per eam aditus eſt in mona-
„ ſterium, ut olim. Verum ne adventantibus hoſpitibus ad-
„ mirationi eſſet ruſticus ingreſſus, placuit inſcripto lapide
„ eos admonere ad lævam.

„ *Fornicem ſaxis aſperum, ac depreſſum tantæ*
„ *moli aditum anguſtum ne mireris Hoſpes:*
„ *Auguſtum fecit Patriarchæ ſanctitas. Vene-*
„ *rare potius, & ingredere.*

„ Secunda turris pars, ad quam ex interiori area monaſte-
„ rii gradibus deſcenditur, oratorium nunc eſt S. Salvatoris,
„ & Virginis Deiparæ ab Ottone abbate dedicatum, tecto-
„ rio opere parietibus, plaſtico obducta teſtudine. In eo ſu-
„ pra iconem altaris orbiculata feneſtra lumen immittit au-
„ ſtrale; altera quadrata ſpectat occaſum. In ejus veſtibulo
„ ad angulum turris orientalem extant rudera vetuſti illius
„ habitaculi largioris, de quo meminit Gregorius. Ante
„ eamdem vero turrem largius erat habitaculum, in quo
„ utriuſque diſcipuli quieſcebant; nunc muro clauſum, ut
„ adiri non poſſit. Ex hoc veſtibulo apparet pars quædam
„ nuda antiquæ turris, nam reliquum novæ fabricæ ſtructu-
„ ra contegit. Ante fores hujus oratorii proſtant tabellæ; de
„ quibus Hæftenus, laudes ſacræ cellulæ continentes. Supe-
„ rior turris pars, quam perhibent proprium cubiculum ſan-
„ cti Patris, longe ornatius quaquaverſum nitet. Bipartita
„ concameratione diſtincta eſt a poſteris, quo, ut puto,
„ temporis edacitati firmius obluctaretur. Valvæ antepag-
„ mentis ligneis analyphis, auro illitis, hæc impoſita eſt epi-
„ graphe

Pars ſuperior antiquiſſimæ turris &c.

„ Prioris cubiculi pavimentum bicoloribus marmoribus; in-
„ terioris vero pretioſis ſtratum lapidibus, egregio artificio
„ teſſellatis. Teſtudo plaſtico opere, auroque illuminata.

„ Pa-

„ Parietes excellentibus tabulis Andreæ de Salerno, Baſſani „ ſenioris, Marcelli, Venuſti, & præſertim Joſephi Cæſa„ ris Arpinatis, magni nominis pictorum, ſpectabiles undi„ que. Altare in priore conclavi ad omnem ornatum, & ele„ gantiam compoſitum. Sub interioris vero altariolo S.Ma„ riani lipſana venerationi expoſita, & ardentibus jugiter „ lycnis excubata. Interior domus unam habet feneſtram „ ad occidentem, exterior duas, alteram ad occaſum, ad „ auſtrum alteram. Tota demum ſuperior hæc turris pars, „ magnificum ſui religioſumque intuentibus ſpectaculum præ„ bet, ſua tamen inferius majeſtate, ut regrediens dicere „ poſſis cum Telemacho domum Menelài inviſente apud Ho„ merum

Talis & ætherei forſan Jovis aula renidet.

„ Ante turris ingreſſum ſuperiorem, alterum eſt cubiculum „ venerationi præambulum, & decenter ornatum „. Hactenus Angelus de Nuce, quem fere ad verbum exſcripſit Mabillonius in ejuſdem turris deſcriptione Annalium pag. 95. addens ex veteri codice quæ ſequuntur. „ In turri juxta „ ſanctum Martinum, in feneſtra alta, quæ eſt contra Ca„ puam, (nempe ad auſtrum) vidit ſanctus Benedictus ani„ mam Germani Capuani epiſcopi; & ibi in feneſtra, quæ „ eſt contra Plumbariolam, (ſcilicet ad occaſum) vidit ani„ mam ſanctæ Scholaſticæ: Ibi reſanavit Severum contri„ tum, & leproſum (nimirum elephantioſum illum famu„ lum patris Aptonii viri illuſtris, a quo id reſcivit Grego„ rius) & ibi cunctas virtutes fecit. In fundo turris fecit „ miraculum de labello olei; & ibi ſuper aream tredecim ſo„ lidi de turre ceciderunt. Per feneſtram unde vidit animam „ ſanctæ Scholaſticæ, jactata eſt ampulla de vitro. Ibi re„ ſuſcitavit mortuum ad petram de turre extra portam. „ Ibi ſanctus Maurus claudum extendit. In pojo (ideſt por„ ticu) qui eſt in dormitorio ante portam de turre, ſolſit „ (ideſt ſolvit) ruſticum, & ibi corruit Totila; In refecto-

„ rio,

„ rio, quod eſt juxta ipſum dormitorium, prophetavit de „ Roma, & de panibus. In turre ipſa ſcripſit regulam. In „ pede de rabe (forte rupe) quæ vadit ad ſanctum Johan„ nem, fugavit dæmonem. In fronte ipſius dormitorii & „ de ſancto Martino, fecit cerbenera (& hoc obſcurum.) „ Deforis porta ad pedem turris invenit munus de farina. „ In ipſa turri omni anno in ſancti . . . . ante altare bian„ co faciebant officium Græci & Latini, ſicut præcepit Pe„ tronax abbas Caſinenſis „. Teſte eodem Mabillonio hæc relatio antiquiſſima eſt, ut ex ipſo ſtilo patet, & quidem paulo poſt Petronacis abbatis tempus, ideſt medium octavum ſæculum ſcripta.

Vidit Germani Capuani Epiſcopi animam.) De eo Baronius Annal. Tom. 6. & 7. pluribus locis. Ejus memoria Martyrologio Romano tertio Kal. Nov. adſcribitur.

Animæ videnti creatorem anguſta eſt omnis creatura.) Quæſtionem, qua torquentur Theologi ſeque verſant in diverſas partes, an ſanctus Pater tunc eſſentiam divinam intuitive viderit, fuſe Hæftenus & Angelus de Nuce pertractarunt, affirmativam ſententiam amplectentes; a qua dum minime abhorreo, Mabillonii tamen ſenſus maxime placet in Annalibus pag. 595. Nobis ſufficiet Gregorii verba retuliſſe, cetera ignorare contentis.

In Caput Trigeſimumſextum.

D*Octrinæ quoque verbo non mediocriter fulſit.*) Eraſmus Roterodamus in ſuo Eccleſiaſte lib. 3. fol. 339. ſanctos Benedictum, & Franciſcum viros quidem pios vocat, ſed quorum neuter eruditione Scripturarum præcelluit. At ſancti Benedicti eruditionem ſatis adſtruit Regula ab ipſo condita, ſatis hoc Gregorii teſtimonium, aliaque multa illuſtrium virorum, quæ Sermones, & Homiliæ ſuperius appoſitæ abunde ſuppeditant.

Scri-

Digitized by Google

Scripſit monachorum Regulam.) Quæ de hac Regula, ejuſque præſtantia, & auctoritate dici poſſunt, fuſe proſecutus eſt Hæſtenus in Diſquiſitionibus. Nobis aliqua hic breviter afferre ſufficiet ad comprobandam Regulæ Benedictinæ propagationem vivente ejus auctore non in Italia tantum factam, ſed in Sicilia etiam & in Gallia. De Italia, firmiſſimum nobis ſuppetit argumentum ex Fundani abbatis ad Simplicium abbatem Caſinenſem epiſtola paullo poſt ſancti Benedicti obitum ſcripta petitum. Ibi ſiquidem aſſeritur, quod cum multorum rectorum mores varias vivendi normas in monaſteriis peperiſſent, jam factum fuerat, ut omnia monaſteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ, & aliarum provinciarum Italiæ, certam & rectam regulam vivendi, quam ſanctiſſimus Benedictus inſtituerat, ſervare decreverint. Hujus epiſtolæ veritatem plures e Noſtris ſolide vindicarunt, & præſertim Angelus de Nuce ad cap. 29. libr. 3. Chronic. & Mabillonius primum in Præfat. ad Actorum tomum primum, dein in Annalibus tomo primo, ac demum in Diſſertatione de Gregorii M. monachatu in illius tomi Appendice; iidemque clare demonſtrarunt, verſus quoſdam in veterrimis Regulæ codicibus præmiſſos, in quibus ille ipſe Simplicius abbas Caſinenſis, *magiſtri latens opus propagaſſe in omnes* dicitur; eos inquam verſus prædictæ propagationi minime contradicere, quin illam potius confirmare; nam vel legendum, *magiſtri late opus propagavit in omnes*, quam lectionem veteres quidam codices præferunt, vel *latens opus* Regula dici ante Simplicium potuit, habita ratione ad majoris propagationis ab eo factæ per univerſa Italiæ monaſteria, imo per alias orbis partes teſte Petro Diacono in libello de Viris Illuſtribus Caſin. cap. 5. In Siciliam Regulam Benedictinam invexit S. Placidus, nam de ejus in illas partes miſſione, atque martyrio certiſſime conſtat, quamvis æque conſtet vulgata Acta S. Placidi fabulis & erratis eſſe referta. Equidem miſſionis & martyrii veri-

rita-

ritatem probant vetera Kalendaria, Litaniæ, Martyrologia, Miſſalia, ac demum ſacrarum Placidi & ſociorum reliquiarum inventio Meſſanæ facta ſub finem ſæculi decimiſexti. Gallia beato Mauro Benedictinæ Regulæ traditionem debet, ut invictis argumentis demonſtravit auctor Diſſertationis, quæ inſcribitur, Apologia miſſionis ſancti Mauri monachorum Benedictinorum in Galliis Apoſtoli. Hiſpanis primas concedere deberent in Benedictinæ Regulæ receptione Siculi, & Galli, ſi vulgati chronici ſub nomine Maximi, unde habemus, anno 537. Sancti Benedicti Regulam in Hiſpaniam invectam fuiſſe, ac monaſterio S. Petri de Cardenna impoſitam, ſtaret auctoritas. At cum fraudes chronici illius eruditis jam pateant, aliunde repeti debent Benedictinæ in Hiſpania originis primordia, de quibus legendus Mabillonius in Actis, & in Annalibus. Præter Regulam S. Benedicto nonnulli tribuunt quædam opuſcula, nempe librum de Ordine vitæ, & Epiſtolam ad S. Remigium Remorum epiſcopum ſcriptam. Primum ſatis refutavit Hæftenus, qui illud in monaſticarum Diſquiſitionum calce edidit; alterum Mabillonius in Præfat. ad Acta tom. 1. pag. 20.

In Caput Trigeſimumſeptimum.

Eodem vero anno quo de hac vita erat exiturus.) Obitum ſancti Patris Benedicti incidiſſe in annum 543. & non ante nec poſt, Matthæus Lauretus ita probat. „ Et primum „ quod non ante. Nam ut docet Cardinalis Baronius ex „ Procopio lib. 2. de bello Gothor. Totila fuit evectus ad ſolium regni anno 542. Hic autem rex vivente adhuc ſancto Benedicto Caſinum venit, ut docet Gregorius ſupra „ cap. 14. & 15. Agebat ergo inter vivos eo anno ſanctiſſimus Pater. Quod autem non fuerit tranſgreſſus annum „ 543. ex duobus locis colligitur, uno ex Gordiano, altero

„ vero ex Fauſto deſumpto . Gordianus in vita S. Placidi
„ aſſerit beatos Maurum, & Placidum oblatos a parentibus
„ fuiſſe beato Benedicto anno Dominicæ Incarnationis 522.
„ quamvis Cardinalis Baronius, cui & ego aſſentior, corri-
„ gendum putet eſſe numerum, & pro 22. ſupponendum
„ eſſe 23. Fauſtus vero aſſerit beatum Maurum adhæſiſſe
„ ſancto Benedicto, atque apud eum manſiſſe annos 20. quo-
„ uſque videlicet ab eodem beato Patre in Gallias miſſus eſt:
„ aſſerit præterea beatum Benedictum eodem anno non mul-
„ to poſt diſceſſum ſancti Mauri diem clauſiſſe extremum.
„ Modo ſic probo intentum. Ab oblatione beati Mauri uſ-
„ que ad ejus diſceſſum in Gallias fluxere anni viginti, cum-
„ que eodem anno obierit ſanctus Benedictus, oportet aſſe-
„ rere nullo modo tranſgreſſum fuiſſe annum 543. ſed in
„ hunc incidiſſe glorioſum ejus tranſitum. Si enim a prædi-
„ cta oblatione computes 20. annos incipiendo ab anno 523.
„ annus 20. completur anno 543. ſi autem inceperis compu-
„ tare ab anno 522. tunc uſque ad annum 543. conficies
„ annos 20. completos, & præterea vigeſimum primum in-
„ choatum, quod in idem recidit. Adde his, quod beatus
„ Benedictus ut ſupra docuimus ex Fauſto obiit die Sabba-
„ ti: at vero anno 542. dies vigeſima prima Martii incidit
„ in feriam ſextam; anno vero quingenteſimo quadrageſimo
„ quarto incidit in diem Dominicum; anno vero 543. inci-
„ dit in diem Sabbathi. Et ſic conſonant univerſa „. Ver-
ba autem Fauſti in vita beati Mauri, ex quibus Lauretus
docuit ſanctum Benedictum obiiſſe die Sabbathi, & quidem
Sabbathi ſancto paſchæ illuceſcentis, hujuſmodi ſunt. „Cum
„ enim ſanctum paſcha appropinquaſſet, ſanctus Maurus cum
„ ſociis ex itinere divertens ad monaſterium beati Romani,
„ qui beatiſſimum Benedictum in ſpecu aluerat, diverte-
„ runt, & die paraſcevæ hora ſexta illuc pervenientes, de-
„ votiſſime a beato Romano ſuſcepti ſunt. Et cum jam
„ veſpertina hora appropinquaret, vir Dei Maurus beato

„ Ro-

„ Romano dixit : Craſtina die beatiſſimus pater noſter Be-
„ nedictus , terreno depoſito corporis onere , cœleſtem gau-
„ dens & hilaris ſcandet ad patriam . Noctem vero illam ,
„ quæ duodecimo Kalendarum Aprilis habebatur , & qua
„ ſacratiſſimum vigiliarum paſchæ illuceſcebat Sabbathum ,
„ idem ſacratiſſimus Maurus , ac nos , qui cum eo iba-
„ mus , quam ſanctus Romanus cum aliquibus diſcipulis
„ ſuis , jejuni pervigilem duximus , unuſquiſque noſtrum ſe-
„ creto apud ſe , ut in illis diebus in eccleſia Romana mos
„ erat , pſalmos & orationum preces devote pro exitu ejuſ-
„ dem Patris noſtri Deo dilectiſſimi Benedicti conſumman-
„ tes . Cum vero tranſacta jam hora quaſi tertia ipſius ſa-
„ cratiſſimæ diei , beatiſſimus Maurus in eccleſia conſiſteret ,
„ ut tranſitum ejus qualicumque eveniret hora orando &
„ pſallendo præmunire longe licet poſitus ſatageret , ſe pa-
„ vimento in orationem dediſſet ; raptus ſpiritu ſubito ſe
„ tranſpoſitum in loco , de quo egreſſi fueramus , vidit :
„ conſpexitque viam palliis ſtratam , ac innumeris coruſcam
„ lampadibus , recto orientis tramite ab ejus cella in cœlum
„ uſque tendentem . In qua etiam viſione duos congregatio-
„ nis noſtræ fratres , ſocios habuit , cum quibus ſimul eam-
„ dem viſionem conſpexit . Mox vero ut beatus ad ſe re-
„ verſus eſt Maurus , ocyus ſanctum Romanum ad nos evo-
„ cans , cuncta quæ viderat , lucide nobis per ordinem retu-
„ lit . Diem illam & ſequentem Dominicam , qua ſpecia-
„ liter Reſurrectionis Dominicæ celebratur dies , ſolemnem
„ & celebrem cum omni gaudio & lætitia peregimus „ .
Ex hac Fauſti oculati teſtis narratione nullum de die obitus ſancti Benedicti reſtare ambigendi locum concludit Lauretus . Deinde difficultatem , quæ multorum ſcriptorum ingenia torſit , ſibi proponens , deſumptam ex paſchalibus cyclis Dionyſii abbatis , & Victoris epiſcopi Capuani , qui paſchalem diem anni 543. haudquaquam cum die 22. Martii , ſed cum 19. Aprilis componunt , eam nullum ſolidum fundamen-

 tum

tum habere reſpondet, cum temporibus illis nihil certum & præfixum obſervaretur circa celebrationem Paſchatis, niſi tantum quod die Dominico celebrandum eſſet, & poſt decimam quartam lunam primi Menſis; cujus lunæ exordium cum in diverſis locis diverſimode ſumeretur, etiam ſanctum paſchæ feſtum diverſis diebus celebrabatur. Laureti veſtigiis inſiſtens Hæſtenus, ex duodecim ſententiis, quas de anno obituali ſancti Benedicti refert, ex Totilæ cum S. Patre congreſſu eas omnes refellit, quæ obitum illum ante annum 543. conſtituunt; eam vero amplectitur quæ ſanctum Benedictum mortuum tradit anno illo 543. Gordiani de epocha oblationis ſanctorum Placidi & Mauri, nec non Fauſti de tempore quo beatus Maurus cum ſancto Benedicto vixit, innixus teſtimoniis, quibus & aliud adjungit ejuſdem nimirum Fauſti aſſerentis mortem ſancti Mauri contigiſſe anno Chriſti 584. ab obitu ſancti Benedicti ſuique in Gallias adventus anno 41. quod ſi ab annis quingentis octoginta quatuor ſubducas quadraginta unum, relinquitur quæſitus annus mortis ſancti Benedicti 543 Dein Hæſtenus ad ſolvendam difficultatem ex cyclis Victorii, Dionyſii, & Bedæ, juxta quos anno Chriſti 543. pervigilium paſchæ in Nonas Aprilis incidit non vero in diem duodecimum Kalendas ejuſdem menſis, accedens, non alia ratione illi ſatisfacit quam Lauretus. Utrique autem in ea ſolutione Chriſtianus Maſſæus præiverat. Neque vero ullo modo licere putat Hæſtenus obitum ſancti Patris a die 21. Martii diſiungere, cui nimirum illum præter Fauſtum oculatum teſtem vetera Martyrologia, Kalendaria; Breviaria connectunt. Demum obſervat Hæſtenus cum Baronio ad annum 494. ſententiam Mariani Scoti tradentis ſanctum Patrem obiiſſe anno Chr. 603. facile redargui ex eo, quod ſanctus Benedictus hoc pacto uno tantum, vel paulo amplius ante Gregorium M. mortuus eſſet anno, cum tamen teſtetur ſe vitam ejus ſcribere ex diſcipulorum ejus relatu, & inter illos Simplicii, qui, congrega-

tio-

tionem illius poſt eum tertius rexit . Præterea idem Gregorius Dialogorum libros Pontificatus ſui anno quarto ſcripſit , anno nimirum Domini 594. cum autem vitam , & obitum ejuſdem Sancti referat , quomodo anno 603. mortuus traditur ? & quonam pacto potuit ejus ſcripſiſſe obitum , ſi poſt annos ferme decem ab ea ſcriptione ipſe ſanctus Benedictus dicatur fuiſſe ſuperſtes ? Hæc fere ex Baronio Hæſtenus . Angelo de Nuce ad Chron. cap. 1. cum veroſimilius viſum fuerit nullam tunc Gallicanæ , Romanæque eccleſiæ in cyclo paſchali fuiſſe diſcrepantiam , ac proinde rejiciat ipſe ſolutionem , pro qua calculum ponunt Maſſæus , Lauretus , & Hæſtenus , nec ſibi probari ait quorumdam ſuſpicionem putantium in Actis beati Mauri pro ſabbato paſſionis irrepſiſſe ſabbatum paſchæ ex amanuenſis oſcitantia , quandoquidem ſuſpicioni huic præcavendæ ſatis providerit Fauſtus , non unico tantum verbo , neque uno in loco *Sabbathum Paſchæ* indicans , ſed ampla periphraſi iteratoque ſermone deſcribens , ut ex recitatis ſuperius Fauſti verbis apparet ; quo argumento ſubdit idem Angelus de Nuce revinci eruditiſſimi cujuſdam viri aliam conjecturam , proponentis , Dominicam paſſionis vocatam quandoque apud Gallos primum paſcha ; nullus enim æquivocationi relinquitur locus , poſtquam Fauſtus illi diei notat præiviſſe paraſceven , aliaſque circumſtantias , quæ ut Sabbathum paſchæ diſtincte circumſcribunt , ita cum Sabbatho paſſionis nequaquam congruunt . Sibi , ut ab hac ſe explicet difficultate , nihil occurrere , in quo plane acquieſcat ingenue fatetur Angelus de Nuce , cui demum non inveriſimile omnino videtur , Odonem Glanofolienſem , qui hiſtoriam B. Mauri a Fauſto rudiori ſtylo exaratam , & a ſe pene carioſam inventam , ut ipſe teſtatur , interpolavit , compſit , & uberius extulit , Odonem inquam illum , cujus tantum dictatis gaudemus , primigenia Fauſti ſcriptura deperdita (in quibus alibi etiam oportet ſpongiam adhibere) aliquid ſuo marte in hanc de Divi Benedicti obitu clauſulam intru-

intruſiſſe, quo nos denique torqueremur. Hæc eadem ſuſpicio Mabillonii animo inſedit, dum in Præfat. ad Acta tom. 1. pag. 18. tradit, Fauſtum in vita beati Mauri forte ſcripſiſſe ſanctum Benedictum in vigilia Reſurrectionis Dominicæ hoc eſt in Sabbato, (nam Dominicum diem veteres non raro diem Reſurrectionis Dominicæ appellabant) exceſſiſſe, quod de Sabbato Sancto Odo interpretatus ſit; eoque magis quod in vetuſtis Kalendariis quandoque legatur diem 22. Menſis Martii ſolitam vocari apud Latinos *Primum Paſcha*, quod ipſis citimus Paſchæ terminus fuerit. Cum autem alterutrum negandum ſit, ut ſi in vigilia Paſchæ ſanctus Benedictus mortuus fuerit, alius dies a 21. Martii in Kalendario ei tribuatur; ſi dies 21. Martii retineatur, a vigilia Paſchæ beati Benedicti obitus removeri debeat; retinendum diem 21. Martii Mabillonio magis placet, quod eo obitus ſancti Benedicti in veteribus Martyrologiis nuſquam non conſignetur. Terminos autem ad ſtatuendum ſancti Benedicti obitum duos altrinſecus figit Mabillonius, ac primum quidem repetit ex principatu Totilæ regis, laudatis auctoribus conſentiens, quibus omnibus viam præmonſtraverat Baronius ad annum 542. ita ſcribens. „ Quomodo hoc anno „ Menſe Martio dicere aliquo modo poſſumus ipſum ſan„ ctum Benedictum eſſe defunctum, cum necdum creatus „ eſſet Totilas rex Gothorum, quem hoc anno, occiſo Theo„ debaldo, præceſſit Alaricus? Sed etſi eodem anno crea„ tus ſit Totilas, nondum in Campaniam duxiſſe copias „ conſtat ex iis, quæ de ipſo Procopius ſcripſit, qui ferme „ ſingula ejuſdem regis veſtigia eſt conſectatus, cum tamen „ ſatis ex Gregorio certum ſit, notum fuiſſe eidem regi „ ſanctum Benedictum, pluresque cum eo miſcuiſſe ſermo„ nes, atque ab ipſo ſub eodem rege miracula edita eſſe, „ ut ad minus ad annum Domini 544. oportuerit eumdem „ ſanctum Benedictum perveniſſe „. Poſtremum terminum repetit Mabillonius non ex epocha oblationis ſanctorum Mau-

ri, &c

Digitized by Google

ri & Placidi, non ex annorum intervallo, quibus beatus Maurus manſit cum beato Benedicto, non ex anno emortuali ejuſdem beati Mauri, ſed ex clade monaſterio Caſinenſi a Longobardis aliquanto poſt ſancti Benedicti exceſſum illata. Namque, ait ipſe, a ſancti Benedicti obitu ad Caſinenſem everſionem quatuor abbates cœnobio Caſinenſi præfuere, teſte Paulo Diacono lib. 4. cap. 18. nec diſſentit in libri ſecundi Dialogorum principio Gregorius M. qui Conſtantinum ſancto Benedicto in monaſterii ſui regimine ſucceſſiſſe, Simpliciumque tertio loco congregationem rexiſſe affirmat. Demus autem primos ſancti Benedicti ſucceſſores tres decennio quemque præfuiſſe Caſino; nec certe minus temporis abbatibus perpetuo quoad viverent in ſua didignitate manentibus tribuendum videtur: demus ſtragem Caſinenſem, quæ anno ad ſummum 580. proroganda eſt accidiſſe ſub Bonito abbate primos præfecturæ annos agente; ſancti Benedicti annus ſupremus ultra annum 544. differri vix poteſt. Ita Mabillonius, qui dum tribus abbatibus ſancti Benedicti primis ſucceſſoribus decennium regiminis ſingulis ex ſola conjectura ſeu potius divinatione aſſignat, eademque ratione Caſinenſem cladem nonniſi ſexto aut ſeptimo præfecturæ Boniti anno accidiſſe affirmat, ſupremum Benedicti annum non adeo exploratum nobis reddit, ac Lauretus, Hæſtenus & alii, qui illum ex Actis Gordiani & Fauſti deducunt; at cum eorum Actorum Mabillonio haud parum labet auctoritas, inde eſt, quod conjecturis ſuis, quam illorum calculis inniti tutius exiſtimavit. Eas tamen conjecturas quodammodo valere juſſit idem Mabillonius in Annalibus tom.1. pag. 115. hæc ibi ſcribere contentus. „De „ anno quo ſanctiſſimus Pater mortalem vitam reliquit, jam „ dudum orta difficultas calculatorum ingenia torſit. Incaſ- „ ſum, deficientibus idoneis, quibus id definiatur, argu- „ mentis. Qui id anno ejus ſæculi tricefimo ſexto conſi- „ gnarunt, Abbo Floriacenſis abbas, aliique; recte quidem

„ duo-

„ duodecimum Kalendas Aprilis cum Sabbato ſancto ex pa-
„ ſchalibus cyclis compoſuerunt : ſed non attenderunt ad
„ Totilæ cum Benedicto congreſſum , qui ſerius contigit .
„ Si Gregorium Magnum conſulas, duas certe habebis hu-
„ juſce obitus chronologicas notas , ceu duos limites , quos
„ ultra citraque Gregorius divagari non ſinit ; nempe Toti-
„ læ cum ſancto Patre congreſſum , quem anno quadrage-
„ ſimo ſecundo contigiſse probavimus ; & everſionem Caſi-
„ nenſis monaſterii per Langobardos, quæ ſub Bonito, Ca-
„ ſini poſt ſanctum Benedictum abbate quarto , facta eſt
„ circiter annum , ut ſuo loco videbimus , octogeſimum .
„ Ex vago hoc ſpatio mortalem illum annum ad tempus
„ Totilæ congreſſus propius accedere recte inferre licet : at
„ certum obitus annum figere non licet . Si Fauſtum inte-
„ grum ſequi velis , vanus & irritus conatus . Numquam
„ enim toto illo, quod mox notabam, ſpatio Sabbatum ſan-
„ ctum 12. Kalendas Aprilis invenias. Quod ſi ad varios pa-
„ ſchalis feſti cyclos confugias : nugæ . Neque enim id confi-
„ cias, ſive Victoris, aut Victorii, ſive Dionyſianum aut Ale-
„ xandrinum, qui uni tunc in eccleſia recepti erant, calculum
„ ſequaris „. Refert deinde Mabillonius Claudii Lancelloti; qui hanc controverſiam finiendam, aut certe illuſtrandam ſibi propoſuit, ſententiam cenſentis annum 547. ceteris præferendum; quo anno fatetur quidem Lancellotus paſcha non undecimo ſed nono Kalendas Aprilis accidiſſe contra vulgati Fauſti, & latinæ eccleſiæ calculum; at hunc deſerere minoris momenti incommodum Lancelloto viſum eſt, quam recedere ab accurata illa Fauſti in deſcribendis paraſceves, & Sabbati ſancti circumſtantiis diligentia : quas ſane circumſtantias ſi commentus eſſet Odo Fauſti expolitor, næ ille nebulonis ac falſarii loco habendus eſſet, ut qui Jeſum invocet ſinceritatis ſuæ teſtem in edenda ſancti Mauri vita . Odonis fidem elevare non eſt animus, ſubdit Mabillonius; ſed cum Fauſtum integrum præſtare non liceat, in his ambagibus recepto jam pri-

pridem calculo adhærere ſatius videtur. Poſtremum Antonii Pagii ſententiam proferre quoque juvat, a quo ſanctus Benedictus mortuus traditur anno 544. propterea quod ita notatum legit in Chronico ſancti Medardi nuncupato, quod extat tomo 2. Spicilegii Dacheriani; & in Chronico Arcanenſi, quod extat tomo 1. Bibliothecæ Labbeanæ. Nec negotii quidquam faceſſit Pagio, quod eo anno vigilia paſchatis in 7. Kalendas Aprilis ſeu in diem 26. Menſis Martii; non vero in 12. Kalendas Aprilis ſeu in diem 21. Menſis Martii cadat, quodque hoc poſtremo die tam Acta B. Mauri quam Martyrologia obitum ſancti Benedicti conſignent; nihil quippe frequentius eruditiſſimo viro in Opere ſuo, quam aſſerere, ac pro viribus evincere, Martyrologiorum ſcriptores viam, quam in diebus Sanctorum obitualibus e tenebris eruendis inire debeamus, nobis monſtrare non poſſe, cum ipſimet ejus inſcii fuerint, aliiſque quam quibus ad Deum migrarint diebus, Sancti plerumque colantur. Martyrologos autem quoſdam Odone vitæ ſancti Mauri interpolatore antiquiores huic anſam præbuiſſe exiſtimat Pagius mortem ſancti Benedicti cum die 21. Martii alligandi; animadvertens ſcilicet Odo, ſanctum Benedictum coli 12. Kalendas Aprilis, eoque etiam die in Martyrologiis memorari; exiſtimavit Fauſti locum in quo legebatur 7. *Kal. Aprilis* mendoſum eſſe, & ejus loco ſcripſit 12. *Kalendas Aprilis* ſenſimque error ille propagatus ſit. Demum nulla ratione dicendum videtur Pagio, Odonem virum doctum & veracem, Dominicam Paſſionis pro Dominica Reſurrectionis, feriam quintam cujuſque hebdomadæ pro die Cœnæ Dominicæ, & Sabbatum quodlibet pro vigilia Reſurrectionis ſumere potuiſſe; craſſiores enim ejuſcemodi errores, quam ut ei attribui poſſint. Inextricabiles prorſus, quemadmodum cuivis lectori videbuntur; controverſiæ hujus tricas intricatiores adhuc reddit Indictionis numerus, quicum annus obitualis ſancti Benedicti in cap. 1. Chron. Caſin. conjungitur, nam ibi legitur. „ Poſt hæc idem

Digitized by Google

„ ſanctus vir expleto ſui temporis curſu laudabili, ea die
„ quæ ſacroſancti Paſchæ ſabbatum illuceſcebat, duodecimo
„ videlicet Kalendas Aprilis in oratorium ſancti Baptiſtæ Jo-
„ hannis a diſcipulis ſe ſe ferri præcipiens, inter ipſorum
„ manus orans, migravit ad Dominum anno ejuſdem Incar-
„ nationis quingenteſimo quadrageſimo tertio indictione ſecun-
„ da „. Anno enim 543. Indictio non ſecunda, ſed ſexta numerabatur. Alius codex MS. ejuſdem Chronici, quem *Codicem Petri* appellat Angelus de Nuce, ſignat annum 542. & Indictionem quintam, quæ cum eo anno recte componitur. Placet huic quæſtioni ejuſdem Angeli de Nuce verbis in eum locum finem imponere. „ Utcumque ſit, errores
„ iſtius modi numerales innumeros obſervare eſt in antiquis
„ Codicibus, uſque adeo proclive eſt imperitis librariis nu-
„ merorum figuras depravare, cum præſertim Romanis olim
„ characteribus uterentur I. II. III. IV. X. L. C. M. nondum
„ inductis barbaris illis, quibus nunc utimur.

Aperiri ſibi ſepulchrum jubet.) De antiquiſſima Ordinis conſuetudine, ut ſemper unum in eccleſia aut clauſtro haberetur ſepulchrum apertum, quo memoria mortis Fratribus jugiter imprimeretur, legeſis Hæftenum.

Dominici corporis & ſanguinis perceptione.) Paſſim hinc Noſtri inferunt ſacrum Viaticum ſub utraque ſpecie a Benedicto perceptum fuiſſe, qua ratione infirmis aliquando traditum ex veteri diſciplina inficias iri nequit. At cum Mabillonio in Annal. tom. I. pag. 114. notare oportet, minime inſolens fuiſſe apud veteres, ut corporis & ſanguinis Dominici nomine unica tantum panis ſpecies deſignetur.

Duobus de eo fratribus uni in cella commoranti, alteri autem longius poſito.) *Longius poſitum* Fauſtus beatum Maurum interpretatur.

Sepultus vero eſt in oratorio beati Baptiſtæ Johannis.) Situs ſacri ſepulcri in deſcriptione montis Caſini præfixa Chronico Caſinenſi ad quam Angelus de Nuce in hunc locum Lecto-

rem

rem remittit, his verbis repræſentatur. „ In medio ſanctua-
„ rio ara maxima, ſub qua ſacra D. D. Benedicti & Schola-
„ ſticæ quieſcunt pignora, in pulcherrimam molem præſertim
„ odæum verſus, aſſurgit, multiplici lævigati marmoris ge-
„ nere conſtructam, atque ex proprio lapide teſtulis ornatam,
„ belle adeo diſpoſitis, atque commixtis in lilia & roſas, ut
„ prope intuentium pene fallat aſpectum: duo marmorei At-
„ lantes ad extremitates hinc inde collocati totam machinam
„ omnium membrorum niſu ſufferre, premique onere, ſum-
„ ma ſculptoris laude videntur. In medio arculus depictis SS.
„ Benedicti, ac ſororis molliter cubantium imaginibus ſedem
„ præbet, baſimque ſuperimpoſito lydio lapidi, qui his ex
„ Angelo de Nuce aureis loquitur notis.

Benedictum & Scholaſticam
Uno in terris partu editos,
Una in Deum pietate cœlo redditos,
Unus hic excipit tumulus,
Mortalis depoſiti pro æternitate
Cuſtos.

Exuvias Sanctiſſimi Patris Caſini ſemper quieviſſe, ibique adhuc quieſcere, Noſtri palam demonſtrarunt. At nemo ſolidius Angelo de Nuce, quem cum in Notis plerumque ducem ſubſecuti ſimus, placet ejus de hoc argumento hiſtorica diſſertatione iiſdem colophonem imponere. Cui diſſertationi eo libentius hic locum aſſignamus, quod ea utpote a typographis Pariſienſibus in editione Chronici Caſinenſis ſuppreſſa, in quibuſdam dumtaxat exemplaribus, Italicis formis vulgata, legatur.

Digitized by Google

EXCURSUS HISTORICUS

Quod Sanctiſſimi Patriarchæ Benedicti exuviæ Caſini quieſcant.

AUCTORE ANGELO DE NUCE.

SAcrum Caſinenſe cœnobium a Benedicto protoparente inſtitutum fuiſſe pretioſiſſimi exuviarum ſuarum theſauri hæredem ex aſſe, nemo unquam ad tribunal vocavit, Magno Gregorio, univerſaque Antiquitate conteſtantibus, Caſini Benedictum obiiſſe, ibique fuiſſe ſepultum. Quod in controverſiam olim venit eſt, apud Gallos, an apud Caſinates ſacrum hoc depoſitum nunc demum ſervetur. Quam litem jam diu, nec ſemel, a ſupremis rerum Arbitris nobis adjudicatam, in judicium poſtliminio reducere retentavit Johannes a Boſco in Bibliotheca Floriacenſi; cui juſto libello reſpondit Matthæus Lauretus. At, quoniam ſuper eadem quæſtione ſerram nuper acrius reciprocat Hugo Menardus, doctus cæteroquin & eruditus Auctor, chronographoſque noſtros Leonem, & Petrum aliud ſtantes, aliud ſedentes ſcripſiſſe criminatur: neque illi a quoquam factum ſit ſatis: mearum partium eſſe exiſtimavi, ejus argumentis, quod locus monet, reſpondere: faciamque rem, ſane non difficilem, ut ponderanti patebit. Facile quippe negotium eſt Patrocinium Veritatis. Carolum vero Sauſſejum, de eodem, ut audio, argumento ſcribentem, nondum mihi videre contigit. Menardus tamen poſterior eſt Sauſſejo: quem laudat, & ſequitur.

Ergo, cum Arnoldus Wion Inventionem Corporis S. P. Benedicti, de qua Oſtienſis in hoc cap. Martyrologio inſeruiſſet monaſtico, expungendam inde cenſuit Menardus, ſequentibus inductus obſervationibus: ſed præſtat ſuis verbis loquen-

quentem ipſum audire : ne ſuarum vim rationum , vel minimum enervatam conqueri poſſit.

Primo. Quod ſpectat, inquit, ad miracula, quæ referuntur ex quodam manuſcripto ſermone Petri Diaconi , ea dubiam fidem habere videntur . Tum quod ille ſermo ſit obſcurus , & ignotus , quippe qui latitat in Bibliotheca cœnobii Mantuani . Tum , quod Leo Oſtienſis , cum agit de hujuſmodi inventione, de miraculis in ea factis prorſus obmuteſcit : quæ tamen , ſi qua fuiſſent , non omiſiſſet, præſertim in re tanti momenti . Cum alias , ne vel minimam quidem occaſionem in hujuſmodi miraculis recenſendis prætermittat, ut corpus D. Benedicti Caſinenſi Monaſterio aſſerere poſſit : quæ etiam non potuit ignorare , ſi quæ fuiſſent . Eſt enim diligentiſſimus rerum Caſinenſium inveſtigator ; & illius ætate memoria illorum recentior erat , quam Petri; debebatque in ore Caſinenſium verſari.

2. Præterea . Numquam dixit Leo Oſtienſis , inventum fuiſſe corpus ſancti Benedicti , ſed tantum ſepulchrum: quod etiam inventum , non fuit reſeratum . Hæc ſunt verba Leonis lib. 3. cap. 26. *Tres ulnas integras fodiens ſubito Patris Benedicti venerabilem tumulum reperit . Moxque cum religioſis viris communicato conſilio , ne illum omnino mutare præſumeret ; ne quis aliquid poſſet de tanto theſauro ſurripere , tumulum eodem , quo ſitus fuerat loco , pretioſis lapidis texit.*

3. Sed etiam circa hanc inventionem multum diſcrepant Petrus, & Leo . Ille enim dicit, tumulum fuiſſe inventum in dextro latere altaris : ait enim *ſuper ſepulchro quoque in dextro latere altaris laterem reperit , nomen ejuſdem Confeſſoris continentem.* Hic vero ait , S. Benedicti Eccleſiam , ſeu D. Johannis Baptiſtæ , ante cujus altare ſepultus fuerat D. Benedictus, amplificatam fuiſſe a Deſiderio Abbate ; ita ut eſſet longitudinis cubitorum 100. cumque reſtaret complanandus ipſius eccleſiæ aditus, in eo repertum fuiſſe tumulum S. Benedicti, qui propter amplitudinem novæ eccleſiæ non pote-

rat

rat tunc eſſe in dextro latere altaris. Imo, ſi hoc ita eſt; debebat tumulus S. Benedicti tunc eſſe extra veterem eccleſiam D. Joannis eum antea eſſet valde parva, & anguſta.

4. Ipſe etiam Leo loc. cit. ſcribit in majori Abſida ad orientalem plagam Deſiderium ſtatuiſſe Altare B. Joannis Baptiſtæ, in eo videlicet loco, ubi ejuſdem Oratorium olim Benedictus Pater exſtruxerat, in diſtantia inter altare D. Joannis, & aditum novæ Eccleſiæ, ubi repertus eſt tumulus Sancti Benedicti.

5. Neque etiam ſibi conſtat Leo. Nam lib. 1. cap. 1. ſcribit S. Benedictum ſepultum fuiſſe in Oratorio S. Joannis Bapt. ante ejus Altare; at lib. 3. cap. 20 tumulum S. Benedicti repertum in aditu novæ Eccleſiæ, qui maxime diſtabat ab ipſo altare D. Joannis.

6. Diſſident etiam inter ſe Leo, & Petrus pro tumulo D. Benedicti. Nam Petrus ponit in dextro latere altaris; at Leo ante ipſum altare. Quæ omnia hanc inventionem tumuli D. Benedicti valde ſuſpectam reddunt.

7. Id etiam oſtendit ex cap. 57. lib. 1. Ait enim Joannem primum Abbatem, qui obiit anno Domini nongenteſimo quarto, & trigeſimo, altare majus, ubi S. P. Benedicti corpus conditum eſt, candidiſſimis marmoreis tabulis induiſſe. Si hoc tempore conditum erat Corpus Benedicti ante majus altare, quomodo an. milleſimo ſexto, & ſexageſimo repertum eſt in loco, qui explanabatur ad faciendum aditum eiuſdem Eccleſiæ? Quis Corpus S. Benedicti illo tranſtulit? Quomodo potuit ignorari illo tempore locus, ubi jaceret Corpus S. Benedicti? Cum præſertim ex quo Johannes I. cæpit inſtaurare Eccleſiam S. Benedicti, nulla fuerit illius deſtructio ante annum milleſimum ſextum, & ſexageſimum.

Hucuſque Menardus lib. 1. obſervationum in Martyrologium monaſticum ad diem 21. Martii. Nam ad undecimum Julii, agens de Translatione S. S. Bened. & Scholaſt. a Caſ-nenſi monaſterio ad Floriacenſe, totus eſt in eludendis argu-

men-

Digitized by Google

mentis Leonis, & Laureti, qui eam tranſlationem convellunt. Denique ad quartum Decembris agit de Illatione, ſeu Relatione reliquiarum ejuſdem S.S. Patris ex Aurelianenſi Urbe (quo propter incurſiones Nortmannorum delatæ fuerant) ad monaſterium Floriacenſe.

Propoſitum nobis non eſt litem, quæ jam tranſivit in rem judicatam, denuo conteſtari, & nova munitiſſimæ cauſæ adjumenta conquirere. Hoc tantum intendimus, Menardo reſpondere. Quod autem facimus, præmittere liceat, Oſtienſem in hoc capite, tranſmiſiſſe ad poſteros ea, quæ non ſolum ſuo ævo contigerant, & in ipſa orbis luce, coram Legatis Apoſtolicæ Sedis peracta fuerant, ut fatetur Alex.II. infra laudandus, verum ea, quibus ipſe interfuerat Leo. Nam cap. præcedenti in calce ſe deſcripturum pollicetur, quæ præſens ipſe inſpexerat: quod etiam ex Perſonarum, & temporum ratione comprobatur. Virum autem imaginibus clarum, doctrina, prudentia, atque pietate inſignem, Romanæque purpuræ tunc candidatum, uſque adeo effrontem, totiuſque pudoris exortem adlatrare, qui ſuprema Chriſtianæ Reipub. Capita Pontifices, ejuſque Legatos in ſcenam, mentiendo inducere non erubuerit, honeſto cenſori erubeſcendum cenſeo. Sed & Johannes Aragonius Regiis faſciis, Romaniſque Infulis Illuſtriſſimus, Johanneſque Antonius Carafa Filius Comitis Madaluni, qui aliam inventionem ſacrorum pignorum ſub anno 1486. publicis tabulis, & marmoribus conteſtatam, ac minutiſſime deſcriptam reliquerunt, an fide ipſi etiam laborabunt? Ut omitam Hieronymum Placentinum Abbatem Caſinenſem, qui cum inferiorem Confeſſionem (quam tugurium vocitamus) ſub ipſo Baſilicæ Preſbyterio, arduo ſane molimine, excavaret, ſubſtrueretque an.1545. invenit loculum, ubi pretioſa lipſana commiſſa erant, eaque cunctis primum Cœnobitis duodecimo die Martii, tum tertiodecimo Populis, undique ad Sacrum Spectaculum confluentibus, inſpectanda, & adoranda propoſuit, ut ex noſtris

mo-

monumentis authentice conſtat. Ac tandem poſſemus, & ipſi nos, quod vidimus teſtari, quodque manus noſtræ contrectaverunt an. 1659. octavo, & ſeptimo Idus Sextilis. Verum hæc alias divulganda, nunc ſeponimus. Non enim (quod a principio præmonuimus) cauſam nunc agere inſedit animo, ſed bonæ cauſæ fiducia Menardi tantum acrimoniam, ſi fieri queat, demulcere, id præſertim oſtendendo, Auctores noſtros extra omnem falſitatis, inconſtantiæ, ac deſultorii calami invidiam poſitos eſſe: cætera parerga ſunto.

Ad primum, quod ſpectat ad miracula, ſermo ille Petri diaconi manuſcriptus aſſervatur, non tantum in Bibliotheca Cænobii Mantuani, ſed in Tabulario quoque Caſinenſi, inter opera ejuſdem Petri, nec unico codice. Incipit: *Egregii, atque pretioſſimi Confeſſoris Benedicti octavum feſtivitatis diem, ejuſque ſacratiſſimi Corporis inventionem, &c.* Sic vero terminatur. *Hujus ergo Fratres Cariſſimi, ut ante jam diximus, inventionem omnium gaudio celebremus, &c.* An igitur, quia ſermo vulgatus non eſt, ejus idcirco teſtimonio dubiam habeo fidem? At, in gratiam Menardi, prope diem evulgabitur: Num ſperare licet, tunc ſaltem ejus a Menardo teſtimonium admittendum?

At de miraculis, inquis, Leo non meminit; cum alioqui, ne minimam occaſionem ea recenſendi prætermittat. Imo tantum abeſt, ut in hujuſmodi recenſendis curioſior Leo fuerit, ut pleraque ſtudio brevitatis omiſerit, quæ, tum ex Dialogis Deſiderii, tum ex aliis monumentis in ſuam hiſtoriam traducere facillime potuiſſet; neque mirabilium, ſi qua divinitus tunc contigerunt, neſcius eſſe potuit, quod præſens rebus, & negotiorum magna pars erat. Sciens ergo, volenſque ea Leo prætermiſit, ideoque ſilente Leone, non ſiluit Petrus, integro, prolixoque ſermone ad hoc inſtituto. Agebat autem in vivis Petrus, cum adhuc conviverent plurimi eorum, qui inventioni adfuerant: ut auritus ab oculatis acceperit: eaque ſcripſit, quæ in ore tunc omnium Ca-

ſinen-

ſinenſium verſabantur . Præterquam quod Petrus fere omnia exſcripſit ex Bulla Alex. Pontificis, cujus autographum, omni carens vitio in Archivio noſtro adhuc aſſervatur.

Ad ſecundum. Rogo. Quanta hæc eſt argumentatio? numquam dixit Leo Oſtienſis, inventum fuiſſe corpus ſancti Benedicti; ſed tantum ſepulchrum, quod etiam inventum, non fuit reſeratum. Nempe inane Cœnotaphium non ſepulchrum Leo inventum ſcripſit? Ridicule. Honeſtum non eſt, ne verum cogamur agnoſcere, cavillari. Neque dixit Leo, ſepulchrum non reſeratum; ſed non mutatum, denique pretioſis lapidibus tectum. Quod autem non ſcripſit compendioſior Leo, audi Menarde, copioſe deſcribentem Petrum.

Adveſperaſcente vero die a venerabili Patre Deſiderio deputati ſunt quamplurimi Fratres, qui vigilias tota nocte juxta ſancti Benedicti corpus celebrarent. Cumque omnes alii egreſſi fuiſſent, Gregorius ejuſdem eccleſiæ Paramonarius dixit. Si vobis æquum videtur, ſacratas reliquias, antequam Dominus Abbas veniat, inſpiciamus. Quod dictum, dum placuiſſet omnibus, accedentes ad locum, invenerunt ſupra ſepulchra ſyndonem expanſam candidiſſimam, quæ cum tangebatur, evaneſcebat. Levantes autem lapidem, invenerunt duas ſepulturas, in quibus hoc ordine reliquiæ poſitæ erant. Capita eorum *contra Chorum* (qui tunc erat in medio eccleſiæ) *pedes contra Altarium* ſancti Baptiſtæ Joannis habentes. Supradictus autem Gregorius, corpora tantorum Sanctorum ut vidit, gaviſus eſt gaudio magno, illiuſque dentem unum SS. Patris *auferens, & in vaſe argenteo ponens.*

Alexander quoque Pontifex in ſua Bulla. Ea, quæ noſtris temporibus acta ſunt, pandere curamus. Nam cum dilectiſſimus filius noſter Deſiderius eandem renovaret eccleſiam, & aditum Baſilicæ diſponeret adæquare, cum tres non integras ulnas fodiſſet in dextro altaris latere laterem reperit, nomen ejuſdem confeſſoris continentem. Cumque

K frag-

ſragmenta Altaris remota fuiſſent, invenit ſuper ſepulchra ſyndonem expanſam candidiſſimam, quæ cum tangebatur evaneſcebat. Hac viſione certiſſimus redditus, reſerari SS. Patris juſſit tumulum, quo facto ſanctiſſima corpora intemerata, & indiminuta inveniens, nuntios noſtros acciſcens, pretioſiſſimaque corpora eis oſtendens, tam præſentes, quam futuros certiſſimos, & indubios de ſanctis corporibus reddidit.

Audiſti jam, vir æquiſſime, Sepulchrum non tantum inventum, ſed reſeratum quoque; idipſumque aſſerit Alexander; nec reſeratum dumtaxat, ſed corpora inſpecta, & contrectata, ſummis teſtibus adſtantibus. Ne autem Petro Diacono, & Alexandro Pontifici, ejuſque miſſis, credere dubites, cogita prius, an e re tua fuerit non credendo maximis teſtibus docere, ne tibi tuiſque credatur.

Ad tertium. Ne minimum quidem diſcrepant Leo, & Petrus: imo ad unguem conſentiunt. Nam, quod Petrus ait, tumulum inventum fuiſſe *in dextro altaris latere*, idipſum eſt, quod Leo ſcribit, *in Eccleſiæ adito*. At præjudicata mente incedens Menardus, offendiculum reperit in noſtris chronographis, *aditum* accipiens pro *ingreſſu* Baſilicæ, cum accipere debuiſſet pro Sanctuario, pro Presbyterio, pro Abſida, ubi ſita eſt Ara maxima. Eſt enim Græcis *adytum* penitior, atque ſecretior Templi pars capitalis, ad quam prophanis aditus non permittitur; ſed ſolis ſacerdotibus, ac miniſtris. Cæſar de Bello Civili lib. 3. *Pergamus in occultis, & remotis Templi, quo præter Sacerdotes, adire fas non eſt, quæ Græci adyta appellant, tympana ſonuerunt*. Virgilius quoque, *Iſque adytis hæc triſtia dicta reportat*, & alibi,

Veſtamque potentem,
Æternamque, adytis effert penetralibus ignem.

Apud Euſebium in chronicis refertur epiſtola Manethonis ad Ptolomeum Philadelphum, cujus hæc inſcriptio. *Manethos flamen Sacrorum, & Scriba adytorum Ægypti, genere Sebenita, Heliopolites; Domino meo Ptolomæo ſalutem.*

Ita-

Itaque *Aditus*, pro ingreſſu, latinum eſt, conflatum ex *Ad*, & *itus*. Adytum vero, neutro genere, Græcum oppoſitumque ſignificat ab *A* privativa particula, et *Dy* quod valet *ingreſſus*: hoc eſt ſine *ingreſſu*. Leonem autem, ac Petrum ſæpiſſime græciſſare, jam ſæpe notavimus. Neque defendi poteſt Menardus; quod pravo librarii calamo, Aditum, non Adytum, ſcriptum legerit in Leone. Nam Baſilicæ ingreſſum non uſpiam Leo appellat Aditum: ſed vel *Valvas*, aut ingreſſum in hoc ipſo Capite: vel *Veſtibulum* cap. ſeq. ubi aperte veſtibulum diſtinguit ab Adito. Deinde lib. 2. cap. 99. *Cernebatque*, inquit, *in ſomnis quendam reverenda canitie monachum cum alia Sanctimoniali ab ipſis abſidæ aditis procedentes*. In abſida ergo concipi debuiſſent ſive aditi, ſive adyta. Abſida vero eſt in ſanctuario. Præterea in hoc capite, *Aditum*, ait, *remanſiſſe in eminentia priori, a quo octo gradibus tunc deſcendebatur*; quod quidem de ingreſſu accipere ejuſce Baſilicæ, quam opere tam magnifico, ſplendidoque magnus tunc erexerat Deſiderius, hominis eſſet phantaſia, & judicio abutentis. Ad hæc, toto præſenti capite ſatis, ſuperque Leo explicat, quid Aditi nomine intelligat; qualiſcumque futura fuiſſet Amanuenſis orthographia: ut paulo accuratius legenti, abſque mea monitione, palam fiet. Vide tamen infra num.1368. littera g. Ulterius, cap. 32. ſeq. *Fecit*, inquit, *Cancellos quatuor fuſiles ex ære, ante altare ſcilicet hinc inde, inter Chorum, & Aditum ſtatuendos*. Obſecro. Potes Menarde Aditum hic accipere pro ingreſſu? Nam Chorus, veteri, nunc antiquata ſtructura, erat ante altare fere in medio eccleſiæ, vide cap. ſeq. littera g. Petrus quoque Diaconus infra cap.47. *Nocte quadam, dum in ſtratu ſuo, quod eſt ante Secretarii januam in ipſo aditu Baſilicæ, reſideret, viſi ſunt &c.* At ex cap. præf. habemus, Secretarium tunc fuiſſe in ipſo ſanctuario juxta altare D. Gregorii, quid evidentius? Tandem Alexander Pontifex in ſuo Diplomate, quod a Menardo apud Lauretum non dubito fuiſſe perle-

K 2 ctum:

ctum narrat, Altare demolitum, ut aditus adæquaretur reliquæ Baſilicæ. An ergo altare majus tunc erat in ipſo Baſilicæ ingreſſu? Circunſpecti igitur, ac prudentis Judicis fuiſſet, tota, ut ajunt, lege perſpecta, ſententiam ferre: non vero ad unum tantum apicem reſpiciendo, pronunciare. Colligamus. Sancti Patris ſepulchrum in Adyto, hoc eſt in ipſo Presbyterio ſtatutum ab initio fuit; Gregorio, & Leone auctoribus & in eodem Adyto reperitur, auctoribus Leone, & Alexandro Apoſtolico, aliiſque. Et porro cum Leo lib. I. ſcripſiſſet, quæ hauſerat a Gregorio, cunctiſque tunc exploratiſſimum eſſet, tumulum Benedicti primum effoſsum fuiſse ante altare ſancti Joannis, ibi corpus humatum, ibidemque Leonis ætate veneratum; unde obſecro tanta ſupinitas, tanta dormitantia ſomniari potuit in Leone; ut non adverteret, a Gregorio, a ſeipſo, & ab oculorum ſuorum judicio ſe diffidere, ſi nunc ſcriberet, tumulum fuiſſe inventum in valvis eccleſiæ, vel extra eccleſiam, quemadmodum a Leone ſcriptum fuiſſe, argutatur Menardus? Verum maxime refert, quo quiſque animo ad Auctorem lecturus accedat. Scite Seneca. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertam.

Sed audio quid reponat Menardus, aut quiſpiam pro Menardo. Benedictus ſepultus fuit *ante altare* S. Joannis, ut concedimus. Oſtienſis autem, Petrus, & Alexander, inventum referunt *ſub altari*, vel *ſub latere altaris*. An non ænigmata ſunt hæc, quibus ſit opus Oedipo?

Imo aſſertæ a nobis veritati luculentum hæc ænigmata teſtimonium perhibent: uſque adeo verum vero ſemper eſt uniſonum. Audi ergo tu quoque, quicumque es pro Menardo. Felix Papa I. ſtatuit ut ſuper martyrum ſepulturas Altaria erigi, & miſſæ celebrari poſſent. Quod poſtea ad confeſſores ſimiliter dimanavit. Conſecratio igitur ſeu Apotheoſis, & Canonizatio, ut loquimur, celebris alicujus viri, eo fieri olim cenſebatur; ut rite petentibus fidelibus

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolica Sedes annueret, ſuper corpus defuncti altare conſtrui, miſſaſque celebrari. Indicat hunc ritum auctor noſter lib. 2. cap. 57. cum ſuper corpus Landenolphi Capuani Principis Oratorium conſtructum refert. Nimirum, quia inter cælites illum colerent, gratia miraculorum illuſtratum, ut ibi notavimus. Accedat præterea Moſchus cap. 88. *Depoſuerunt Sancti corpus in Cœmeterio feceruntque ſupra ipſum breve Oratorium.* Locupletior tamen rogetur teſtis Purpura inſignis, atque Doctrina Petrus Damiani in vita S. Romualdi cap. 72. ultimo. *Poſt quinquennium vero a ſancti viri obitu data monachis ab Apoſtolicâ Sede licentia, ut ſupra venerabile corpus ejus altare conſtruerent.* Ac tandem Ferrarius Catalogo Sanctorum 11. Martii. *Firmanus Firmi in Piceno natus, admirabili floruit ſanctitate, qui inter ſanctos confeſſores, non ſolemni ritu; ſed ſola altaris ſacellive erectione relatus eſt.*

Modo quæro. An cunctaberis credere, poſt ſanctiſſimi, miraculorumque fama celeberrimi Benedicti obitum, Altare ſupra illius ſepulchrum, Apoſtolica ſede annuente, erectum fuiſſe? Petronaci ſaltem, Baſilicæ Caſinenſis inſtauratori, vel Zachariæ Pontifici, qui eandem Petronacis Baſilicam conſecravit, id tribuendum non diffiteberis, non quod ſepulchrum ſuo loco motum fuerit: ſed altare ſupra tumulum reductum, ſicut nunc extat. Et quoniam Baſilicæ latitudo ampliata fuit verſus Aquilonem, hinc factum eſt, ut ſepulchrum, quod olim erat ante medium altaris, reducto ſupra illud altari, conditum remanſerit non ſub altaris medio, ſed ſub cornu Epiſtolæ: ut ita, & altare in ipſo Presbyterii meditullio ſtatueretur, & ſepulchrum ſub altari clauderetur. Hæc ſciens Oſtienſis, non dubitavit aſſerere, prius cum Gregorio, Benedictum ſepultum fuiſſe *ante Altare:* tum ex propria ſui inſpectione inventum *ſub Altari*. Hæc neſciens, vel non advertens Menardus inaniter ſibi de triumphato Leone blanditur.

Ad quartum. In eodem luto hæret, *Adytum* pro *aditu* ſeu

ingreſſu perperam accipiens. Nulla eſt diſtantia inter eccleſiæ Abſidam, & ejus Adytum. Idem non diſtat a ſeipſo, vel ab aliqua ſui parte. Abſida eſt Fornix, Concameratio, Tholus, ſeu Tribunal in apice Sanctuarii, hoc eſt Adyti, & apud nos vergit ad orientalem plagam. Ingreſſus vero Baſilicæ Solem reſpicit occidentem. Ut, vel hinc Menardus *Aditum* pro *Ingreſſu* neutiquam debuiſſet accipere.

Ad quintum. Utrobique eadem narrat Leo: quæ per errorem Hugo diſtinguit. Quare diutius hic immorari, mera ſit mora.

Ad Sextum. Diſtingue tempora (vetus eſt monitio) & concordabis ſcripturas: Scripſerat Oſtienſis *ante altare*, cum primam Benedicti humationem ex Gregorio referret. Scribunt Leo, & Petrus, *ſub altari*, vel in *dextro altaris latere*, poſt quingentos, & eo amplius annos: ob rationem, ad tertium jam ponderatam. Novas decurſu temporum inducunt facies temporalia.

Ad ſeptimum. Patet ex dictis. Corpus Benedicti tempore abbatis Johannis conditum erat, non ante altare, ſed ſub altari. Numquam repertum fuit in aditu eccleſiæ; ſed in adyto. Nullus illud alio tranſtulit. Nemo ignorabat locum ubi jaceret. An non frequentiſſime in hac hiſtoria S. Benedicti corpus ſub altare reconditum, ibique mirabilia non raro patrata narrantur? Contra propria ergo ſua phantaſmata, non contra chronographos noſtros, digladiatur Menardus.

Videor jam mihi argumentis Menardi ad 21. Martii pluſquam ſatis, niſi fallor, feciſſe. Ad æquiſſimos ergo Judices, Floriacenſes ipſos Patres calamum, animumque converto; ac rogo, ut utriuſque partis momenta perpendere non graventur. Quod ſi æquo animo fecerint, non ſolum ipſorum urnam non formido; ſed ultro ad illam provoco. Ego ſane, ſi evidentia excludit fidem, veritatis hujus fidem jam exui: eamque mihi clariorem reddiderunt argumenta Menardi.

nardi . Veritas enim inſtar ignis , quo plus excutitur , plus clareſcit.

Quod attinet ad Translationem , video Bullas Bullis opponi, teſtes teſtibus, miracula miraculis. Sylvam hanc ingredi , ejuſque ſpiſſas tenebras diſcutere , nec eſſet pretium operæ , nec vacat . Non enim ea eſt otii mei ratio , ut ſinat , quod dicitur , fritillo me oblectare ; aut in litore conchas legere . Frivola autem ſunt, & jocularia, quæ adducuntur . Adi Lauretum , Bullas Alexandri II. Urbani II. aliorumque Pontificum , quas apud antiquos ſcriptores nuſquam reperiri ſcribit Menardus . Tabularium Caſinenſe ſervat autographas , ab omni penitus exceptione immunes . Dubitas. Veni , & vide . Vici ſpero non dixeris ; niſi veritati bellum indixeris .

Quod Leo Oſtienſis primus , poſt tot doctiſſimorum virorum ſententiam , poſt tot Eccleſiarum conſenſum , contrariam Gallis opinionem ſit auſus aſtruere , non æquo jure aſſeritur a Menardo . Univerſi vero teſtes pro Floriacenſibus dici vere poſſunt unicus teſtis , nempe primus , quem cæteri ſecuti ſunt, Caſinatibus tunc in cauſa non citatis, ideoque non reclamantibus .

Mirum autem videri queat (quod notavit Lauretus) Pauli Uvarnefridi auctoritate adverſarios niti ; cum Paulus poſtquam translationis , ſeu ſurreptionis memoriam ſuis inſeruiſſet commentariis , continuo ſubdat . *Sed certum nobis eſt os illud venerabile , & omni nectare ſuavius , & oculos ſemper cæleſtia contuentes , cætera quoque membra* (nota) *quamvis in cinerem defluxa , remanſiſſe :* quo verborum circuitu , quis non videt , Paulum plane corrigere , ac refutare narrationem , quam , ex aliorum utique monumentis (non enim ſuo ævo id accidiſſe refertur) prius exſcripſerat? Et fortaſis id ſcripſerat , & vulgaverat antequam apud Caſinenſes de rei veritate ſincerius edoceri potuiſſet : unde id poſtea retractavit, ſubnectens , certum ipſi , & Caſinatibus fuiſſe , integrum Benedicti corpus Caſini remanſiſſe . Quippe non cineres tantum remanſiſ-

ſe

ſe ait, ſed os, & oculos, & cætera, hoc eſt omnia mem-bra. Non ergo ſurrepta. Cave autem putes, uſquequaque in cinerem ex tunc menbra defluxa. Cum an. 1545. capita S.S. Fratrum adhuc integra perdurarent; & ex recenti inſpectione anni 1659. coſtæ aliquæ, cranii partes craſſiores, os quod vocant ſacrum, altera licet parte corroſum ſupereſſe conſpexerimus, præter oſſa minutiora innumera, cineresque copioſos, in eadem capſula ſepoſitos.

Ut autem admittam pretioſi hujus noſtri Theſauri particulam aliquam in Gallias aliquando delatam, non ero difficilis exorari. Indeque invaluiſſe opinionem de Translatione ſancti Benedicti. Quantumvis enim parva, exiliſque reliquiarum pars, nomine totius figurate venit. Cujus figuræ uſus frequens eſt in ſacris litteris. Sic Auctor noſter ſupra lib. 2. cap. 53. *Quam diſſimilis*, inquit, *quamque diverſa hæc proceſſio receptionis Beatiſſimi Mauri fuerit ab illa qua Paſtor Benedictus cum omni eum Congregatione uſque januam monaſterii proſecutus &c.* Ubi beatum Maurum dicuntur Caſinates recipere, cum reciperent illius tantum brachium, quin brachii unicum os: & infra lib. 4. cap. 73. *Terræ proſtrati*, inquit Petrus Diaconus *Sanctum Evangeliſtam adoraverunt* Evangeliſtæ nimirum Matthæi cubitalis oſſis particulam: qua ratione quantulacumque in ſacris Cimeliis reliquia ſit repoſita, nomine illius Divi prænotatur: ex. gr. S. Andreas, S. Jacobus, S. Thomas, cum revera vix fruſtulum ſit illius. Non diſpari ergo ratione, pro aliqua S. Patris noſtri reliquia in Gallias delata; S. Benedictum eo delatum ſynecdochice dictum prius fuerit: tum paulatim vulgo creditum totum allatum, ac demum credulitati adblandientes commentarios concinnatos; & ad eorum fidem Principum, Pontificumque impetrata diplomata. Numquid enim contendes, Pontifices, Principes, quicumque Gallis patrocinari dicuntur, inſpexiſſe Floriacenſe depoſitum: illudque anatomice metitos, quo certiores fierent, an integram corporis ſummam expleret? Id certe nos de noſtro

Digitized by Google

ſtro theſauro non contendimus, nec enim diſcerni poteſt, utrum ſuis omnibus partibus conſtet. Neque id aſſerit Alex. II. ſed tantum, Divorum corpora a miſſis ſuis, & ab aliis inſpecta fuiſſe.

De illatione tandem ex ante dictis philoſophandum. Abundet nihilominus quiſque in ſuo ſenſu, dummodo charitas ſuperabundet. Agimus enim de paterna quidem hæreditate; ſed cum amantiſſimis Fratribus, quorum apud nos nomen venerabile, & amor maximi faciendus. Non unice de Benedicto, ubi requieſcat, diſceptatur. Similis eſt controverſia de Stephano Protomartyre, de Bartholomæo Apoſtolo, de Nicolao Myrenſi, de Dionyſio Areopagita, aliiſque Divis, quorum, ſi corpora non ſunt replicata, replicari tamen variis locis cultum, exiſtentiæque credulitatem, nec veritati officit, nec Religioni. Sed jam ad Notas calamus recurrat.

---

g. Hoc itaque modo aditus in eminentia priori permanſit; ita ut a pavimento ipſius uſque ad pavimentum Baſilicæ octo gradibus deſcendatur, ſub fornice ſcilicet maximo, qui eidem adito imminet; præter illum utique gradum, quo undique ad altare ſubitur.

Hanc ſolum periodum ſi attentive Menardus obſervaſſet, errorem ſuum facile potuiſſet detergere. Adeo enim graphice presbyterium his verbis exprimitur, ut mirabile videatur, *aditum* pro *ingreſſu* quempiam in Leone accipere potuiſſe. Quid enim? Num Baſilicæ ingreſſus ſub fornice maximo tunc locabatur? Nempe cervix in calcaneo. Numquid gradus ille, quo undique ad altare ſubitur, cum gradibus januæ computandus? Præterquod, nulli tunc, ut neque nunc, in janua gradus, quæ adiacenti periſtylio, & interiori Baſilicæ pavimento complanata. Inobſervatum quoque præteriri non debet, quod ſubditur. *In abſida majori ad Orientalem plagam ſtatuit altarium B. Baptiſtæ Joannis in eo videlicet loco, ubi ejuſdem olim Oratorium Benedictus Pater* ex-

exſtruxerat. Scilicet, ubi Benedictus humatus fuerat, & ubi repertus. Baſilicæ vero veſtibulum vergit ad occaſum: ut advertimus ad quartum. Ortum igitur cum occaſu confundit, qui aditum confundit cum veſtibulo. Parcamus tamen linceo alioqui oculo, Caſinatis Baſilicæ ſtructuram tam eminus, ſine Teleſcopio intuenti.

In Caput Trigeſimumoctavum.

Cum enim conſtet, quia Paraclitus Spiritus ex Patre ſemper procedat & Filio.) De hujus loci in Græca verſione corruptela vide quæ ad illum adnotata ſunt inter Variantes Lectiones. Proceſſionem Spiritus Sancti a Filio docet ipſe Gregorius pluribus locis, nimirum in ſymbolo, quod initio ſui Pontificatus edidit, ubi ſcribit: „ Spiritum Sanctum nec genitum nec ingenitum, ſed coæternum de Patre & Filio „ procedentem „; tum in Moralibus lib.1. num.30. ubi ait: „ Dum Sanctum Spiritum, qui a ſe procedit „, ideſt a Filio. Et lib.5. n.65. „ Qui de Patre procedens, & de eo quod „ eſt Filii accipiens „. Clarius adhuc Hom. 26. in Evang. poſt initium: „ De Patre procedit & Filio.

FINIS.

592593

Auctores e quorum potiſſimum penu depromptæ ſunt Notæ; namque ingenui animi eſt fateri, per quem profeceris.

Cæſar Cardinalis Baronius.
Arnoldus Uvion.
Simon Milletius.
Matthæus Lauretus.
Benedictus Hæftenus.
Angelus de Nuce.
Joannes Mabillonius.

Digitized by Google

592593

Digitized by Google